MANUALE
PIETATIS

Ex probatis precationum libellis, jam ante CONCINATUM.

Nunc denuo selectioribus devotionibus

AUCTUM.

Unâ cum utilissimis Resolutionibus pro infirmis, ac Compendio Controversiarum.

Editio Quinta.

Cum Licentia Superiorum, & Privilegio S. R. M.

Typis Clari-Montis Częstochoviensis. A D. 1712.

Nro 78.

Proloquium.

Ad pios Sacerdotes, & fideles mysteriorum Dei Dispensatores.

HÆreditariam Sacerdotij nostri eminentiam explicare, supervacaneum hic autumo, hoc enim de bonitate Numinis in terra nobis concessum est, quod cœlicis spiritibus negatum scimus. Solanter Asceticus Doctor Thomas Kempensis in dulcedine spiritûs sui exclamat. lib: 4. cap. 11. *O quam magnum & honorabile est officium Sacerdotum: quibus datum est Dominum Maiestatis verbis Sacris consecrare, labijs benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & cæteris ministrare.* Ministerij tamen huius Majestas quô gestu, quantaq; sollicitudine à nobis tractanda sit, illud semper memoriæ inhæreat, ut cui plus datum est, plus etiam ab eo, scilicet gratitudinis, exigetur. Princeps Ecclesiæ, & noster,


Petrus

Petrus quemq; noſtrum ſic admonet. 1. Petri. cap. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem, non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, neq; turpis lucri gratia. ſed voluntariè, neq; ut dominantes in Clero, ſed forma facti greg's ex animo.*

Quod, ſi cautâ mente, fideli labore, ac condignâ vigilantiâ geſſerimus, Officiumq; noſtrum ſicut excellens, ità formidabile circumſpectè tractaverimus, non diurnum denarium, ſed excellentiſſimi, quia æterni pretij mercedem indubitanter præſtolemur. Commenſales Regis Regum ſumus, Paſtores Chriſti ovium, non pecudum, videamus igitur nè ad Menſam tam Sacram immorigeri ac in vigilantia gregis Domini ſomnolenti compareamus. Deus eſt, qui ſudores exterget noſtros ſit nobis labor dulcis, quos præmia tanta ſeqvuntur, quæ omnibus opulentiſſima

vovet & precatur indignus exorator.

Fr. Rudolphus Pollacz, O. S. Pauli P. E.


INRI
PARCE REDEMPTIS

EXERCITIVM MATUTINUM.

IN nomine Dei Patris, qui me creavit; Filij qui me suo pretioso Sanguine redemit, & Spiritûs S. qui me sanctificavit, surgo. Ipsi honor, laus, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictus sis Deus meus,
Qui protector eras meus,
Hac nocte præterita;
Cor meum & intellectum,
Memoriam & affectum,
Tibi Deus offero.
Quidquid loquar cogitabo,
Agam, patiar, amabo,
Te Deus in omnibus.
Malo mori quam peccare,
Contra vitia pugnare,
Volo totis viribus.
O MARIA, ô Beati,
Este mei advocati,
Cum custode Angelo:

JESUS, MARIA, JOSEPH, Vobis dono cor meum, & animam meam.

Commendatio ſui ipſius ad B. V. MARIAM.

O Domina mea Sancta MARIA me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitûs mei, & animam meam, & corpus meum tibi commendo: omnem ſpem meam, & conſolationem meam, omnes anguſtias, & miſerias meas, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo, ut per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & diſponantur opera, ſecundùm tuam, tuiq; Filij voluntatem. Am̃.

O Amantiſſima Mater, glorioſa Dei Genitrix MARIA, ſuſcipio te novo amoris affectu, in Matrem meam dulciſſimam, unicè colendam, amandam, imitandam, glorificandam: ſuſcipe tu quo-

quoque me licet indignissimum, in peculiarissimum filium; adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA. Amen.

O Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate supernà, hac die illumina, custodi, rege, & guberna.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio, à te semper incipiat & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Actus virtutum mane dicendi.

ADoro te Sanctissima Trinitas: Pater, & Filius, & Spiritus S. tres Personæ, unus, & solus Deus,

Deiicio me, in abysso mei nihili sub conspectu divinæ Maiestatis tuæ.

Credo firmissimè, paratus mille vitas profundere, in contestationem o-

mnium eorum, quæ nobis in Sacra Scriptura revelaſti, & per Eccleſiam tuam credenda propoſuiſti.

Omnem ſpem meam in te colloco, & quidquid poſſum habere boni, ſive ſpiritualis, ſive corporalis, & in hac & in altera vita, id totum deſidero, ſpero & volo ſolum conſequi de tua manu Deus meus, vita mea, & unica ſpes mea.

Conſigno tibi hodie, & in perpetuum corpus, & animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectũ, voluntatem & omnes ſenſus meos.

Proteſtor me non conſentire, neq; conſenſurum unquam, quantum in me eſt, in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offenſa tuæ Divinæ Maieſtatis.

Propono firmiſſimè, impendere omne eſſe meum, facultates ac vires meas, ad ſervitium & gloriam tuam:

Paratus ſum ſuſcipere, quaſcunq; adverſitates mihi paterna tua manus immiſerit, ad dandum guſtum beatiſſimo cordi tuo.

Vel

Vellem me totum, quantus quantus ſum impendere, & procurare, ut ab omnibus tibi ſerviatur, atq; omnes homines te glorificent, & ament, Deum Creatorem ſuum.

Gaudeo ſummè de tua æterna felicitate, & exulto de tua tam magna gloria in cælo & in terra:

Gratias tibi ago infinitas, pro innumeris beneficijs quæ mihi & toti mundo collata ſunt, & in dies inceſſanter à benigniſſima tua providentia conferuntur.

Amo tuam infinitam Bonitatem, propter ſeipſam, ex toto affectu cordis & animæ meæ; & vellem, ſi poſſem amare eo amore, quo te amant Angeli & homines iuſti, cum quorum amore coniungo imperfectiſſimum amorem meum.

Offero Divinæ Maieſtati tuæ in unione meritorum Paſſionis vitæ & mortis Chriſti, Beatiſſimæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, ex nunc

pro ſemper, omnia opera mea pretioſiſſimo Sanguine JESU Redemptoris noſtri lota, & involuta.

Statuo omnino participem me facere, quantum poſſibile eſt Indulgentiarum per actiones huius diei, & illas applicare permodum ſuffragij pro animabus purgatorij.

Volo etiam omne illud, quod poſſum offerre in pœnitentiam, & ſatisfactionem meorum peccatorum:

Deus meus, cum tu ſis infinitè dignus omni amore & ſervitio, ſiquidem tu es qui es; doleo quantum poſſum maximè de omnibus meis peccatis, illaq; deteſtor ſupra omnia mala: peto humillimè veniam, facioq; firmiſſimum propoſitum, nunquam offendendi tuam Bonitatem in æternum.

Jn tua vulnera me proijcio, ô JESU! ibi me abſconde & defende, hodie & ſemper, donec mihi largiaris gratiam videndi tui, & amandi in æternum. Amen.

Salu-

Salutatio SS. SACRAMENTI.

O Amantiſſime Domine JESU, qui hic ſub mirabili Sacramento contineris, ſis in æternum benedictus & ultra: qui me ingratum hucuſque tolleraſti. Agnoſco bonitatem tuam, & gratias ago, laudo, glorifico, æternumq; ingeminare deſidero: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, In te credo ô ineffabilis Veritas: in te ſpero ô æterna Bonitas: te amo ampliuſq; amare deſidero ô ſumma Bonitas: Gaudeo de omni honore tibi unquam exhibito; compatior de injurijs & diminutione gloriæ tuæ. O ſi reſarcire liceret! Placet quod propoſui; renovo quod vovi. Utinam & ipſe te nunquā offendiſſem: doleo! doleo! de omnibus peccatis firmiterq; ſtatuo amplius non peccare, & præcipue peccato N. Inſuper ſtatuo omnia in gloriam & complementū tui beneplaciti facere, maximè opus N. Sed quia

nihil possum sinè te, & omnia in te, illumina tenebras meas. Adiuva imbecillitatem, largire gratiam & tuam sanctam benedictionem. Amen.

Gratiarum actio pro statu Sacerdotali.

GRatias tibi ago misericors Deus, quod me indignum peccatorem ad officium Sacerdotale elegisti meq; medium inter te & populum fieri voluisti, ut tuam pro me peccatore & pro eodem populo tuo misericordiam exorarem. Certè Angelicam puritatem, & conversationem deberem habere, ego peccator & impurus, cuius in manibus ad eloquiorum cœlestium prolationem corpus tuum ô Christe de panis consecratur materia, qui te ad libitum & tracto manibus & ore percipio, & fidelibus distribuo. Adiuva me Deus omnipotens, ut huic officio, & statui meo ad tui nominis laudem meamq; & populi salutem prodesse, & satisfacere valeam, quod tibi beneplacitum

citum est semper cogitem & intendam, alijs vitâ & exemplô præluceam, honorem tuum animarumq; profectum quantùm in me est promoveam, orationi diligenter vacem: tibi Deo meo ardenter & libenter deserviam, spirituiq; potius intendam, quàm carni. Da bone IESU ut corde & corpore mundus sim, & pudicus in omni tempore, sim corde humilis, conversatione Sanctus, temporalium contemptor facultatum, & à terrenorum sollicitudine liber, quatenus tibi Deo meo expeditiùs vacem, atq; Sacramentalis panis sumptione dignior efficiar, ut in omnibus deniq; meis actionibus glorificeris ô Christe. Qui vivis & regnas, &c.

OMnipotens & misericors Deus, ad humilitatis meæ preces benignus intende: & me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensa clementiæ tuæ largitate cœle-

ſtibus myſterijs ſervire tribuiſti, dignum ſacris Altaribus fac miniſtrum; ut quod mea voce depromitur, tua ſanctificatione firmetur, Per Dñum &c.

Oratio, dicenda ante Divinum Officium ex Romano Diurnali.

APeri Domine os meum ad benedicendum Nomen Sanctum tuum: munda quoq; cor meum ab omnibus vanis, perverſis, & alienis cogitationibus: intellectum illumina; affectum inflamma; ut dignè, attentè ac devotè hoc Officium recitare valeam, & exaudiri merear ante conſpectum Divinæ Maieſtatis tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Domine, in unione illius divinæ intentionis, qua ipſe in terris laudes Deo perſolviſti, has tibi horas perſolvo.

P R A X I S.

Offerendi Horas Canonicas:

DEUS, cuius immenſam Maieſtatem adorat omnis Eccleſia Sanctorum

ctorum: offero tibi has Ecclesiæ tuæ preces, à me indigno, die hodiernâ recitandas. Offero imprimis omnes à Matutino usq; ad Completorium horas, offero omnes earum affectus, & sensus, à Spiritu S. & ab Ecclesia sponsa Tua intentos, atq; hic depositos, offero earum omnia puncta, commata, sententias, verba, litteras: offero omnes motus linguæ meæ, & manuum mearum, ictus oculorum, omnes respirationes, omnes cogitationes, & affectiones animæ meæ, omnes mei totius commotiones in hac præsenti oratione intercursuras. Accepta igitur hoc tributum servitutis meæ, Tu qui es Dominus meus, Rex meus, Deus meus, solus, unicus, naturalis, meq; mancipium tuum naturale, & voluntarium, Spiritu tuo Sancto, & gratia efficaci, atq; abundanti purifica, confirma, sanctifica, ut Tibi servitium meum in sanctitate, & justitia, & perseverantia semper exhibere valeam. Qui in Trinitate

nitate perfecta, vivis & regnas, unus Deus, in sæcula benedictus. Amen:

Orationem sequentem devotè post Officium recitantibus LEO Papa X. defectus & culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit.

SAcrosanctæ & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini nostri JESU Christi humanitati, Beatissimæ & gloriosissimæ semperq; Virginis Mariæ fœcundæ integritati, & omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria, ab omni creatura, nobisq; remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

℟. Et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum.

Pater noster. Ave Maria.

PRA-

PRAXIS
Examinis Conſcientiæ.
I. Solve DEO Grates.

O Pater miſericordiarum, ô mi Creator, mi Salvator, mi Redemptor, mi Protector, te benedico cum omnibus Angelis, & curia Sanctorum univerſa, & ex intimis præcordijs gratias ago, pro omnibus & ſingulis animi & corporis donis, liberaliſſimè mihi alijſq; collatis, præſertim hoc menſe, hodieq; his & his N. N. Et quid pro his retribui tibi, aut retribuam?

II. Pete Lumen.

ILlumina me Domine, qui obſervaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti. O veni lux vera & pelle tenebras cordis mei, ut videam quid deſit mihi, & quid diſpliceat tibi, ut omnem iniquitatem odio habeam, & per gratiam tuam ſeriò emendem.

III. Discute mentem.

COgitata, dicta, facta, diei tecum expende.

I. An recta in rebus tuis intentione processeris. An inspirationes divinas neglexeris. An suspitionibus judicijs temerarijs, ambitione libidine, odio, vanâ gloriâ, &c. laboraveris.

II. An in verbis tuis vanitas, acerbitas, mendacium, irrisio, detractio, murmuratio, juramentum, &c. locum habuerint.

III. An in actionibus aliquid Dei gloriæ, proximi commodis; tuæ saluti obfuerit. Hic reflecte ad munus officij tui; status; obligationis; item recogita successum in Officio divino, in Missæ Sacrificio. Tandem percurre Decalogi, Ecclesiæ, &c. præcepta.

IV. Delicti, veniam posce.

O Pater amantissime, quem amo super omnia, ecce hæc reddidi mala pro bonis tuis. Doleo ex toto corde meo,

meo, & intimis medullis, me infinitam bonitatem tuam toties offendisse. Ignosce indignissimo mihi, ô omne bonum meum! Parce ô benignissime Iesu, his & omnibus occultis meis! per gemitus tuos & lachrymas per spinas & flagra, per Crucem & vulnera per omnes misericordias tuas.

V. Recide malum.

ITerumne peccabo? corpus & animam meam, vulnera, sanguinem Christi, cœlum, & omnia bona ob rem nihili prodigam? Non faciam, ô bone IESU non faciam, meritis tuis fultus & gratiâ. Persequar inimicos, id est vitia mea & cadent subtus pedes meos. O succurrite omnes Cœlites peccatrici huic animæ! tuq; ô misericordiæ Mater, quæ nullum derelinquis, tuq; Angele mi custos, vosq; Patroni mei, coram quibus propono hæc peccata N. N. emendare, tales peccandi occasiones subterfugere; paratus

tus ad Dei gloriam hæc N. agere & illa N. quando occurrent tollerare.

Deus, propitius esto mihi maximo peccatori.

Oratio ad Beatam Virginem M.

O MARIA Dei Genitrix & Virgo gratiosa omnium desolatorum, ad te clamantium consolatrix vera, per illud magnum gaudium, quo consolata es, quando cognovisti Dominũ Jesum die tertiâ à mortuis impassibilem resurrexisse, sis consolatrix animæ meæ, & apud eundem tuum, & Dei natum unigenitum in die novissimo, quando cum anima & corpore ero resurrecturus, & de singulis factis rationem redditurus, me digneris juvare, ut perpetuæ damnationis sententiam per te pia Mater & Virgo, valeam evadere, & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia feliciter pervenire, Amen.

Memento hic eorum qui te præcesserunt & dormiunt in somno pacis: & dic pro eis Psalm: De profundis

DISPOSITIO
AD CONFESSIONEM SACRAMENTALEM.

SUscipe Confessionem meam piissime ac clementissime, Domine JESU Christe, unica spes salutis animæ meæ: & da mihi obsecro contritionem cordis, & lachrymas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus, omnes negligentias meas cum humilitate, & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me, quem adiutorem quæram? Quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine, qui Chananæam, & Publicanum vocasti ad pœnitentiam, & Petrum la-

chrymantem suscepisti. Domine Deus meus, suscipe preces meas, Salvator mundi JESU bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres, respice me miserum peccatorem invocantem nomen tuum: & noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Et si commisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. Parce ergo mihi, qui es Salvator meus, & miserere peccatrici animæ meæ. Solve vincula eius, & sana vulnera. Domine JESU! te desidero, te quæro, te volo, ostende mihi faciem tuam, & salvus ero. Emitte igitur, piissime Domine, meritis purissimæ & immaculatæ semper Virginis Genitricis tuæ MARIÆ & Sanctorum tuorum, lucem tuam, & veritatem tuam in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet, atq; juvet, & doceat ipsos plenè & contrito

corde

corde explicare. Qui vivis & regnas, in ſæcula, &c.

Actus Contritionis.

O Amabiliſſime Domine JESU Chriſte, amor meus, pro me crucifixe, amo te ſuper omnia toto corde, ob infinitam bonitatem, omneſq; divinas perfectiones tuas; & ſi poſſem omnium Angelorum & Sanctorum tuorum amore te amarem, nam omni amore es digniſſimus. Et quia ſic te amo, pœnitet me, & toto mentis affectu doleo, quòd ego viliſſima creatura tua, contra te optimum Deum meum, cui omne peccatum vehementiſſimè diſplicet, unquam peccaverim, ô ſi te non offendiſſem? ô non egiſſem id quod Sanctiſſimæ tuæ voluntati & amori ſic contrarium eſt! Revoco retracto, deteſtor, annullo, & quantùm poſſum annihilo, quidquid feci cogitatione, verbo, opere, & omiſſione contra te, cupioq; ac deſi-

dero

dero totâ animâ meâ id non fecisse. Heu! pœnitet me iterum atq; iterum, & millies: pœnitebitq; totâ vitâ meâ. Et quamvis nulla pœna aut infernus esset, nullum cœlum; tua tamen amabilissima bonitas, à me (heu mihi) offensa sufficit, ut mihi cor dolore disrumpatur, & oculi flumina ac maria lachrymarum profundant. Propono firmissimè cum gratia tua Sanctissimæ tuæ legi imposterum obedire; peccatum quodvis super omne aliud malum vitare; integre confiteri, pœnitentiam iniunctam explere: proximo meo, si quid teneor & debeo, satisfacere; offendendi te occasiones, quantum possum fugere. Condono omnibus omnes iniurias & offensas mihi factas, sicut meas à te mihi peto condonari. Offero tibi vitam & actiones meas bonas, cum gratia tua à me faciendas, & omnes afflictiones (quas justè pro peccatis meis mereor) à me sustinendas, in aliquam compensatio-

nem-

nem tot offenſarum, & injuriarum à me tibi illatarum. In ſuper offero tibi intenſiſſimos compunctionis, contritionis, & deteſtationis, affectus, quos unquam verè pœnitentes & ſua vel aliena peccata deflentes elicuerunt, & deinceps elicient; quos omnes ſi ego ſolus poſſem & ſi tibi placeret eos mihi dare, & alios omnes poſſibiles elicere deſidero. Offero inquam hæc omnia in unione perfectiſſimarum lachrymarum tuarum, quibus ô amantiſſime JESU noſtra delicta deflevisti; laborum item & cruciatuum, quibus eadem expiaſti; & omnium meritorum tuorum per quæ ſpero veniam peccatorum meorum, & uberem gratiam à miſericordiſſimis viſceribus tuis, ut me emendem, & piam ac bonam vitam inſtituam.

Alius Actus ſingularis contritionis.

O Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis! magnum

 omni-

omnino, magnum dolorem tibi creavi. Iustissimam equidem rationem habes de me conquerendi: *Filios enutrivi, exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Sed quis est iste filius tuus, indignissimus hoc nomine, nisi ego? ego sum qui non solum nutritus immaculatà carne tuâ, in sacrosancto Missæ sacrificio, sed evectus quoq; ad potestatem dimittendi aliorum peccata, in confessione Sacramentali, Te gravissimè offendi proprijs peccatis meis. Si quis è plebe, ita te tractasset, quemadmodum ego, omnino intollerabilis foret injuria. Quid nunc fiet? quando ausus est illud unus ex domesticis Sacerdos? Ah Deus Summum bonum meum, Creator meus, Conservator meus, & Redemptor benignissimus, erravi, erravi! *Peccavi in cælum, & coram te!* confiteor jam non sum dignus vocari filius tuus. Nullam invenio abyssum, quæ me satis abscondat, præ confusione, quam mihi af-

hi afferunt offenſæ. O ſi meo quoq; ſanguine tibi poſſem reſtituere, hunc ipſum honorem, quem ſumma mea ingratitudine abſtuli! ſed cùm nequeam illum ego miſer reddere, dignare eum ex te ipſo reſarcire, Domine mi, teq; glorificare. Nulla gloria eſt perdere peccatorem: hoc eſt oſtendere potentiam, contra *folium quod à vento rapitur*. Magna autem gloria eſt, delere in ipſo peccatum, & immutare cor, ut tantùm te amet, quantùm offendit, Complaceat tibi hanc magnam in me oſtendere potentiam. Proteſtor quòd peccata mea, ſuper omnia mala abominer ex puro tui amore: odi tanquam hoſtes tuos, deteſtor ut injurias tuas, & oro humillimè ut potiùs vitam à me auferas, ſi non conformem deinceps ſtatui meo quem gero, Sacerdotali.

Alius Actus contritionis. si deesset copia confessarij.

DOmine JESU Christe, respice oculis misericordiæ tuæ miserum me peccatorem, & vide, quibus in angustijs verser. Parte unà urget necessitas divinum peragendi sacrificium: parte alterà me agnosco in profundo peccati mei, ac proinde in statu omnium planè miserrimo, inimicitiæ tuæ. Quâ igitur linguâ, ac voce è cælo te evocare audebo? quibus manibus audebo tangere carnem illam purissimam? an non meritò timebo, ne me dehiscens tellus absorbeat? nè me Beati Spiritus, qui circumstant, cùm ferre tantam temeritatem non possint, præcipitem ipsi agant, tanquam novum Luciferum in inferni abyssum? Mi Salvator! libenter confessionis balneò sordes meas abstergerem: sed nec mihi concessum est. Aliud proinde mihi non superest, quàm ut coram te me abij-

abijciam, & opem tuam potentissimam, quanta valeo contentione implorem, ut tu in me destruas execrabile hoc peccatum, quod tu tantô odiô prosequeris. Da mihi, o bone JESU! contritionem mari non absimilem, tantam enim esse oportet, quæ ad fœditatem noxarum mearum eluendam sufficiat. Da mihi hanc per amorem illum, quo te ipsum amas, per illos cruciatus per illa vulnera, per illam crucem, quam tulisti propter me: & non permitte, ut te prodam Iudâ deterior, dum indignus te sumo. Spero hanc gratiam à Bonitate tua infinita, & interim protestor, me nihil desiderare magis quàm nè te pro ulla re totiûs mundi offendissem. Detestor hoc malum à me admissum, super omne aliud malum, quia illud agnosco esse injuriam gravissimam, & inexplicabilem Majestatis tuæ infinitæ, & quia scio quòd tu illud odio immensô quodam prosequaris. Ratum proinde fixumquè

mihi eſt, quàm primum potero noxam hanc Sacerdoti aperire, & ſi tua gratia me juvat, in hac deinceps voluntate & decreto animi immotus perſeverabo, moriẽdi potiùs millies quàm denuo peccandi. Amen.

Oratio poſt Confeſſionem.

REgreſſus ſum amantiſſime JESU, ſicut filius prodigus ad brahia & amplexus tuæ bonitatis; ah miſerum me! quæ nubes tam denſa affectûs depravati efficere potuit, ut non viderem & amarem te ſolem veritatis! Cœcus fui cum te offendi, & amavi cœcitatem meam. O infelix tempus, in quo te non cognovi! ô miſera cœcitas, in qua te non vidi, ô nefanda ſurditas, in qua non audivi voces tuas! ô durum & infatuatum cor, quod ſe immiſcuit pulchritudini & amori corruptibili tuarum creaturarum, te deſerens, qui es pulchritudo & bonitas æterna. Sed bonitas infinita! Tu

mihi

mihi oculos aperuisti, ut agnoſcerem & horrerem, peccata mea omnia propter te; ut cognoſcerem & amarem te ſuper omnia. Serô quidē te amavi amor æterne, meliûs tamen eſt ſerò quàm nunquam: faciam quod nunquam feci exhibebo me ex tota anima tibi gratum. Procul hinc eſto vita vetus, procul profanæ deliciæ, procul honores vani, procul omne peccatum. Nunquam amplius in æternū recedam ab amititia & gratia tua, nunquam per ullum peccatum elongabor à te,

O amantiſſime JESU! ſi vis, potes me ita mundare, ut te non offendam amplius; dic mihi, obſecro, quod dixiſti olim leproſo: volo, mundare. dic mihi, quod dixiſti paralitico: Ecce ſanus factus es, jam noli amplius peccare. ita propono ita profiteor, & proteſtor coram divina tua Majeſtate, coram B, MARIA, & tota cœleſti curia, nolo amplius peccare? in æternum non peccabo cum tua gratia,

Volo Domine deinceps ut Christianum & filium tam amabilis Patris decet, bene & piè vivere, ut possim aliquando benè mori. quia talis solet esse mors, qualis fuerit vita; volo deinceps servare præcepta omnia, & malo millies mori, quàm ullum sponte & deliberate transgredi. Agnosco quidem debilitatem, & inconstantiam meam, agnosco perversos mores meos, scio quàm sim fragilis, scio quàm sæpe, quàm graviter, quàm temere tuam bonitatem offenderim: sæpe volui, & statui custodire judicia justitiæ tuæ, & eheu! quoties fui fœdifragus, & infidelis! Hodie tamen non meis fidens viribus sed tuâ fretus gratiâ, statuo firmissimè, ab hac hora nunquam amplius adire loca, in quibus est occasio peccandi, nunquam amplius amare ullam creaturam plus quàm te. Confirma hoc propositum meum, Deus meus sigillo gratiæ tuæ. Amen.

Sit tibi Domine obsecro, cum me-

ritis B. MARIÆ V. & omnium Sanctorum grata & accepta, ista confessio mea, & quidquid mihi defuit, nunc & alias depuritate & integritate Confessionis, suppleat pietas & misericordia tua, & secundùm illam digneris me habere pleniùs & perfectiùs absolutum in cœlo. Qui vivis, &c.

Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat, & nihil prosunt lamenta si replicantur peccata S. Aug: dist: 3. de pœnit.

Sanitate indignus est, qui seipsum postquam curatus est, vulnerat. S. Chrys.

ORATIONES

Ante Celebrationem Missæ. à Sacerdotibus usurpandæ.

Sacerdos non legitime impeditus, celebrare omittens, quantum in eo est, privat

SS. Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores veniâ, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Spirituali Christi benefitio, & seipsum medicina, & remedio V. Beda.

Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adiuvat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit. Thom: à Kem: l. 4. c. 5.

Ad Celebraturum.

Presbyter in Mensa Christi quid agas pensa.
Aut tibi vita datur, aut mors æterna paratur.
Cor prius exterge, sic mundior ad Sacra perge.
Vivere vis, sive mori, confert quod datur ori.

Praxis intentionis ante Sacrificium.

O Altissime Deus, ecce me proijcio ad sacratissimos pedes bonitatis tuæ: qui intendo hodie, Sacratissimam Missam

ſam celebrare, & facere quod Chriſtus fecit in ultima cœna, quodq; Sancta Eccleſia tua quotidie facit, videlicet tranſubſtantiare Panem in Corpus, & vinum in Sanguinem Chriſti, ſecundùm intentionem eiuſdem Redemptoris mei, & Eccleſiæ, ad laudem & gloriam tui ipſius, & honorem Sanctiſſimæ, & ſemper Immaculatæ Virginis MARIÆ, Simul & Sancti, (*vel Sanctæ*) N. cuius hodie celebratur feſtivitas, & ad ſalutem meam, & omnium fidelium vivorum, atq; mortuorum, ut proſit unicuiq; ſecundùm quod tu Deus optime ſcis eis competere. Sed & ego indignus huius Sanctiſſimi Sacrificij Miniſter deſidero, ut iſtud Venerabile Sacramentum, ſit ſpiritualis refectio animæ meæ, confortans me in omni operatione virtutum, & aliorum Sanctorum exercitiorum, tam Spiritualium, quàm corporalium, valeatq; ad reſiſtentiam vitiorum, & tentationum carnis, mundi, & diaboli.

Desidero deniq; ut istud Venerabile Sacrificium, prosit mihi ad augmentum dilectionis tuæ, ô Deus meus & incrementum amoris proximorum. Item ad inseparabilem unionem cum sanctissima voluntate tua. Adiuva me Sancte Pater, confirma me Sancte Fili, dignifica me S. Spiritus, quos semper totis affectibus amo, & æternùm amare volo.

Alia Forma intentionis.

Quam devote recitantibus, Gregorius XIII. Pont. Max: concessit 50. annorum Indulgentias.

EGo volo celebrare missam, & conficere Corpus, & Sanguinem Domini nostri JESU Christi, juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, totiusq; Curiæ triumphantis ad utilitatem meam, totiusvé Curiæ militantis: pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis, & ingenere,

& in

& in ſpecie; & pro felici ſtatu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam & conſolationem Sancti Spiritus, perſeverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM.

Ex Diurnali Romano, pro opportunitate Sacerdotis facienda.

Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel Parentum noſtrorum neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Quæ Antiphona in Feſtis Duplicibus tantum duplicatur, & tempore Paſchali additur in fine Alleluia. *Deinde dicuntur ſequentes Pſalmi.*

PALMUS 83.

QUAM dilecta tabernacula tua Domine virtutum * concupiſcit, & defi-

deficit anima mea in atria Domini,

Cor meum, & caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum* & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum* Rex meus. & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius est auxilium abs te* ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam * auribus percipe Deus Iacob.

Protectot noster aspice Deus * & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atrijs tuis * super millia.

Ele-

Elegi abiectus esse in domo Dei mei * magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus * gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia * Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS 84.

BEnedixisti Domine terram tuam * avertisti captivitatem Iacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam * avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis * aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos * & plebs tua lætabitur in te.

Osten-

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam * & ſalutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus * quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper Sanctos ſuos * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen propè timentes eum ſalutare ipſius * ut inhabitet gloria in terra noſtra,

Miſericordia, & veritas obviaverũt ſibi * juſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Veritas de terra orta eſt * & juſtitia de cælo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtitia ante eum ambulabit * ,& ponet in via greſſus ſuos.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me * quoniam inops & pauper ſum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die * lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis & mitis * & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam * & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te * quia exaudisti me.

Non est similis tui in dijs Domine * & non est secundùm opera tua.

Omnes gentes quascunq; fecisti, venient & adorabunt coram te Domine * & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia * tu es Deus solus,

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua * lætetur cor

meum

meum ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo * & glorificabo Nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me* & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium quæsierunt animam meam * & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator, & misericors * patiens & multæ misericordiæ & verax.

Respice in me & miserere mei* da imperium tuum puero tuo & salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum*, ut videant qui oderunt me, & confundantur * quoniam tu Domine adiuvisti me, & consolatus es me.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.

Sicut erat in principio & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

PSAL-

Kyrie eleison, Pater noster, &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Ego dixi Domine miserere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi. ℣: Convertere Domine aliquantulum. ℟. Et deprecare super servos tuos. ℣. Fiat misericordia tua Dñe super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te. ℣. Sacerdotes tui induantur justitiam. ℟. Et Sancti tui exultent. ℣. Ab occultis meis munda me Domine. ℟. Et ab alienis parce servo tuo. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, & gratiâ Sancti Spiritûs illumina cor nostrum, ut tuis mysterijs dignè ministrare, teque æternâ charitate diligere mereamur.

DEus, cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri: ut te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur.

URe igne Sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum Domine: ut tibi castô corpore serviamus, & mundô corde placeamus.

MEntes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem sicut tuus promisit Filius veritatem.

ADsit nobis quæsumus Domine, virtus Spiritûs Sancti: quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere & de eius consolatione semper gaudere.

COnscientias nostras quæsumus Domine, visitando purifica ut veniens Do-

ens Dominus noſter IESUS Chriſtus Filius tuus, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Am̃.

ORATIO.

S. AMBROSII EPISCOPI. DIE DOMINICA.

SUmme Sacerdos, & vere Pontifex JESU Chriſte, qui te obtuliſti Deo Patri hoſtiam puram, & immaculatam in ara Crucis pro nobis miſeris peccatoribus, & qui dediſti nobis Carnem tuam ad manducandum, & Sanguinem tuum ad bibendum, & poſuiſti myſterium iſtud in virtute Spiritûs Sancti tui dicens: Hæc quotieſcunque feceritis in mei memoriam facietis: Rogo per eundem Sanguinem tuum, magnum ſalutis noſtræ pretium: rogo te per hanc miram, & ineffabilem charitatem, quâ nos miſeros, & indignos ſic amare dignatus

es, ut lavares nos à peccatis nostris in Sanguine tuo: Doce me servum tuum indignum, quèm inter cætera dona tua etiam ad officium Sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ: doce me quæso, per Spiritum Sanctum tuum, tantum tractare mysterium eâ reverentiâ, & honore, eâ devotione, & timore, quibus oportet, & decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere, & intelligere, sentire, & firmiter tenere, dicere, & cogitare, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sinè sono, & sinè strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, & sacrô tecta velamine, propter magnam clementiam tuam, concede mihi Missarum solemnia mundo corde, & purâ mente celebrare. Libera cor meum ab immundis, & nefandis,

vanis,

vanis, & noxijs cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum piâ, & fidâ custodia, ac tutelâ fortissimâ, ut hostes omnium bonorum confusi discedant, Per virtutem tanti mysterij & per manum Sancti Angeli tui repelle à me & à cunctis servis :tuis durissimum spiritum superbiæ & cænodoxiæ, invidiæ, & blasphemiæ, fornicationis, & immunditiæ, dubietatis, & diffidentiæ. Confundantur, qui nos persequvntur: pereant illi, qui nos perdere festinant.

FERIA II.

REx virginum, amator castitatis & integritatis, cælesti rore benedictionis tuæ extingve in corpore meo fomitem ardentis libidinis: ut maneat in me tenor castitatis corporis, & animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, & da mihi veram, & pepertuã castitatem cum cæteris do-

nis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis castô corpore, & mundô corde valeam tibi offerre. Quantâ enim cordis contritione, & tremore, quantâ corporis castitate, & animæ puritate istud Divinum & cæleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena Divinis jungitur, ubi adest Sanctorum Angelorum præsentia, ubi tu es sacrificium & sacerdos mirabiliter & ineffabiliter constitutus,

FERIA III.

QVis dignè hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio Domine, & verè scio, & ipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed scio, & veraciter ex toto corde meo, & ore confiteor

fiteor quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum, de immundo conceptum semine, & de peccatoribus justos & sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam, te rogo Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore, & tremore, cum cordis puritate, & lachrymarum fonte, cum lætitia spirituali, & cælesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, & excubias Sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

FERIA IV.

EGo enim Domine, memor venerandæ passionis tuæ accedo ad Altare tuum licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud quæso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, & pro populo quem acquisivisti Sanguine tuo. Et quoniam me

peccatorem inter te & eundem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum, eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse redemptio. Profero etiam Domine (si digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum,

FERIA V.

TU enim misereris omnium Domine: & nihil odisti eorum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia: quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, nè irascaris satis, neque

neque multitudinem viſcerum tuorum ſuper nos contineas. Non enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciam tuam: ſed in miſerationibus tuis multis. Aufer à nobis iniquitates noſtras: & ignem Sancti Spiritûs in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne noſtra, & da nobis cor carneum quod te amet, te diligat, te delectetur, te ſequatur, te perfruatur. Oramus Domine clementiam tuam, ut ſerenô vultu familiam tuam, ſacri tui nominis officia præſtolantem, aſpicere digneris: & ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, tu nobis preces ſuggere, quas ipſe propitius audire, & exaudire delecteris.

FERIA VI.

Rogamus etiam te, Domine Sancte Pater, & pro ſpiritibus fidelium Defunctorum: ut ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium, hoc

magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, fit illis hodie magnum & plenum convivium de te Pane vivo, qui de cœlo descendisti, & das vitam mundo de tua carne sancta & benedicta Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de sancto, & glorioso Beatæ Virginis MARIÆ utero est assumpta, & de Spiritu S. concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit: ut exinde refecti & satiati, refrigerati, & consolati exultent in laude, & gloria tua. Peto clementiam tuam Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ benedictionis & sanctificatio tuæ divinitatis. Descendat etiam Domine illa Sancti Spiritûs tui invisibilis incomprehensibilisque maiestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras corpus & Sanguinem tuum efficiat, & me indignum Sacer-

dotem

dotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate, & lachrymarum devotione, cum reverentia, & tremore, ita ut placidè ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium, tam vivorum, quam defunctorum.

SABBATO.

ROgo etiam te Domine, per ipsum Sacrosanctum mysterium Corporis, & Sanguinis tui, quô quotidie in Ecclesia tua pascimur, & potamur, abluimur, & sanctificamur, atque unius summæ divinitatis participes efficimur, da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientiâ ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœlestia Sacramenta efficiantur mihi salus & vita. Tu enim dixisti ore tuo Sancto & benedicto: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum Panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc

pane, vivet in æternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni langvore, ut nullam præter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum, & omnem saporem, qui nos semper reficis, & nunquam in te deficis: comedat te cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno; manducet te peregriuus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico: Panis Sancte, Panis vive, Panis munde, qui descendisti de cœlo, & das vitam mundo veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & spiritûs: Intra in animam meam, sana & munda me interiùs & exteriùs. Esto tutamen, & continua salus animæ & corporis mei. Repelle à me insidiantes mihi hostes: recedant procul à præsentia potentiæ tuæ, ut foris & intus

per

per te munitus, rectô tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in mysterijs, ſicut in hoc tempore agitur, ſed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo & Patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te ſatiabis ſatietate mirificâ ita ut nec eluriam, nec ſitiam in æternum. Quì cum eodem Deo Patre, & Spiritu Sancto, vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia Oratio ante Miſſam.

AD menſam dulciſſimi convivij tui, pie Domine JESU Chriſte, ego peccator, de proprijs meritis nihil præſumens, ſed de tua confidens miſericordia & bonitate, accedere vereor & contremiſco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem & linguam non cautè cuſtoditam. Ergo ô pia Deitas, ô tremenda Maieſtas, ego miſer inter anguſtias deprehenſus, ad te fontem miſeri-

cordiæ recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio: & quem judicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro. Tibi Domine plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiæ tuæ Domine JESU Christe, Rex æterne, Deus & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: misèrere mei, pleni miserijs & Peccatis: tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis & pretiose Sanguis, de Vulneribus crucifixi Domini mei JESU Christi profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuò Sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare

dare quod feci. Aufer ergo à me clementiſſime Pater omnes iniquitates & peccata mea: ut purificatus mente & corpore, dignè deguſtare merear ſancta ſanctorum: & concede, ut ſancta prælibatio Corporis & Sanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio, ſit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum ſenſuum regeneratio, operumque tibi placentium ſalubris efficacia, animæ quoque & corporis, contra inimicorum meorum inſidias, firmiſſima tuitio. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

OMnipotens ſempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum Unigeniti Filij tui, Domini noſtri JESU Chriſti: accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cœcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Do-

minum cœli, & terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fæditatem, illuminare cœcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium, tantâ suscipiam reverentiâ, & humilitate, tantâ contritione & devotione, tantâ puritate & fide, tali proposito & intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi quæso, Dominici Corporis & Sanguinis non solùm suscipere Sacramentum, sed etiam rem & virtutem Sacramenti. O mittissime Deus, da mihi corpus Unigeniti Filij tui Domini nostri JESU Christi, quod traxit de Virgine MARIA, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, & inter eius membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, re-

velatâ

velatâ tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen:

Alia Oratio dicenda ante Missam.

DEUS, qui de indignis dignos facis, & de peccatoribus justos & de immundis mundos: munda cor & corpus meum ab omni contagio, & sorde peccati, & fac me dignum atque strenuum sanctis Altaribus tuis ministrum: concede propitius, ut in hoc Altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles offeram pietati tuæ, pro peccatis & offensionibus meis, innumerisq; & quotidianis excessibus meis atque cunctorum simul Christianorum culpis abluendis. Et per eum sit tibi votum meum acceptabile, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit sacrificium. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs S. Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CLementiſſime Deus, Pater Domini noſtri JESU Chriſti, & ſubſtantiæ noſtræ munificentiſſime Creator, qui in hoc admirabili Miſſæ Sacrificio eiuſdem amantiſſimi Filij tui diſpoſitione, omnes opes concluſiſti, accedo ad te, tanquam ad unicū refugium meum, ſpem & conſolationem meā, & effundo cor meum in conſpectu tuo, tibiq; hoc Sacroſanctum ſacrificium offero in gratiarum actionem, pro omnibus beneficijs tuis, à te mihi collatis, ab inſtanti conceptionis meæ quorum numerus menſura, & pondus apud te ſolum eſt, præſertim pro hac vocatione Sacerdotali. Quod ſi præſenti pio deſiderio meo non delectaris ſuper omnia præponende Deus, ſuppleat tenuitatem meam virtus infinita huius Sacrificij. Reſpice in faciem Chriſti tui, & quas pro me indigniſſimo ſuo mancipio gratias offert, eas benignus tanquam Pater admitte.

Alia ad placitum forma offerendi Sacrificium Missæ.

AD laudem, & gloriam Sanctissimæ Trinitatis, in memoriam Salvatoris Nostri JESU Christi vitæ, Passionis, mortis, ac Resurrectionis, ac in operum, & meritorum suorũ omniumque Sanctorum unionem. Ad laudem quoque & exaltationem Beatissimæ Virginis Mariæ, cælestium Angelorum, Sanctorum, atque Sanctarum & singulariter N.N. & aliorum Sanctorum, offero etiam cum ipsorum Beatorum Spirituum laudibus, Sanctorumque omnium precibus & meritis, nunc & semper, hoc, & omnia alia sacrificia, officia, orationes, & bona opera totius mundi, pro meis præsentibus & futuris animæ, & corporis necessitatibus, in auxilium & consolationem meam, & in remissionem omnium peccatorum meorum, quorum veram contritionem semper habere intendo, conor, & cupio, omniumque vivorum

& de-

& defunctorum, meorum parentum, & consanguineorum, amicorum, & inimicorum, benefactorum in spiritualibus, & temporalibus, ac illorum quibus fui gravamen, scandalum, & occasio peccandi. Pro omni gradu Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, ac illius conservatione, augmento, & exaltatione, Christianorum Principum unione, hæresum extirpatione, Summi Pontificis salute, & animarum in purgatorio existentium liberatione. Pro conservatione, & augmento omnium Religionum. Pro conversione omnium infidelium: pro mihi commissis & commendatis. Denique pro illis omnibus vivis, atq; defunctis, pro quibus Dominus noster JESUS Christus & eius Mater sciunt, & volunt me debere orare, & sacrificare; sic oro, obsecro, ac orare, obsecrare, sacrificare intendo, ac propono; ac juxta intentionem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Ego N. Minister licet indignus,

Preca-

Precatio ad B. Virginem Mariam.

O Mater pietatis, & misericordiæ, Beatissima Virgo MARIA, ego miser & indignus peccator ad te confugio toto corde & affectu, & precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in Cruce pendenti adstitisti; ita & mihi misero peccatori, & Sacerdotibus omnibus, hic & in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus, clementer assistere digneris: ut tuâ gratiâ adiuti, dignam & acceptabilem hostiam in conspectu summæ & individuæ Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Alia Oratio ad Beatam Virginem.

PEr te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta inventrix Gratiæ, Genitrix Vitæ, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis; & humilitas Deo grata, nostræ veniam impetret vanitati: copiosa charitas

tua nostrorum operiat multitudinem peccatorum; & fœcunditas gloriosa, fœcunditatem nobis conferat meritorum, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta: Fac ô benedicta per gratiam, quam invenisti: per prærogativam, quam meruisti: per misericordiam, quam pepetristi: ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoq; intercedente participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ JESUS Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

GRATIARUM ACTIO. *POST MISSAM.*

Antyph. Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant Sancti in cami-

camino ignis, benedicentes Dominũ.

Quæ Antyphona in Festis duplicibus tantum duplicatur, & tempore Paschali additur in fine Alleluia.

Canticum trium Puerorum.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: * laudate & super exaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino * benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol, & Luna Domino * benedicite Stellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber, & ros, Domino * benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis, & æstus Domino * benedicite frigus & æstas Domino.

Benedicite rores; & pruina Domino * benedicite gelu, & frigus Dño,

Benedicite glacies, & nives Domino *

no * benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino * benedicite fulgura, & nubes Dño.

Benedicat terra Dominum * laudet, & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes, & colles Domino * benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino * benedicite maria, & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis Domino * benedicite omnes volucres cæli Domino.

Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino * benedicite filij hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum * laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino * benedicite servi Domini Dño.

Benedicite Spiritus, & animæ justorum Domino * benedicite Sancti, & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domi-

Domino* laudate, & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium cùm Sancto Spiritu* laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cæli* & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

PSALMUS 150.

LAudate Dominum in Sanctis eius* laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus eius* laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubæ* laudate eum in Psalterio & Cythara.

Laudate eum in tympano, & choro* laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in Cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis* omnis spiritus laudet Dominum. Gloria Patri, &c.

Deinde

Deinde repetitur Antyphona.

Trium puerorum cantemus hymnũ quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Deinde Sacerdos dicit.

Kyrie eleison. Chryste eleison. Kyrie eleyson. Pater noster, &c. ℣ Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. ℟. Et Sancti tui benedicant tibi. ℣. Exultabunt Sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis. ℣. Non nobis Domine, non nobis. ℟: Sed Nomini tuo da gloriam. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Acti-

ACtiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni, & adiuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Da nobis quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere: qui Beato Laurentio, tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio S. Thomæ de Aquino.

GRatias ago tibi Domine Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, satiare dignatus es pretioso Corpore & Sanguine Filij tui Domini nostri JESU Christi. Et precor, ut hæc Sancta Communio, non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum

meo-

meorum evacuatio, concupiſcentiæ & libidinis exterminatio, charitatis, & patientiæ, humilitatis, & obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio: contra inſidias inimicorum omnium, tam viſibilium, quàm inviſibilium, firma defenſio: motuum meorum, tam carnalium quàm ſpiritualium, perfecta quietatio: in te uno ac verò Deo firma adhæſio: atque finis mei felix conſummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris: ubi tu cum Filio tuo & Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, jucunditas conſummata, & felicitas perfecta. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Alia Oratio S. Bonaventuræ.

TRansfige dulciſſime Domine JESU, medullas & viſcera animæ meæ ſuaviſſimo, ac ſaluberrimo amoris tui

ris tui

ris tui vulnere, verâ, ſerenaque a Apoſtolica Sanctiſſima charitate, ut langueat & liquefiat anima mea ſolo ſemper amore & deſiderio tui te concupiſcat, & deficiat in atria tua, cupiat diſſolvi, & eſſe tecum. Da ut anima mea te eſuriat, Panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, panem noſtrum quotidianum, ſuperſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem & ſaporem, & omne delectamentum ſuavitatis: te, in quem deſiderant Angeli proſpicere, ſemper eſuriat & comedat cor meum & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ: te ſemper ſitiat fontem vitæ; fontem ſapientiæ, & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te ſemper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem, & gloriam Nominis tui, cum humilitate, & diſcretione,

cum dilectione, & delectatione, cum facilitate, & affectu, cum perseverantia usque in finem: & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum quies & tranquillitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma, & immobiliter semper sit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

ANima Christi, sanctifica me, Corpus Christi, salva me; Sanguis Christi, inebria me; Aqua lateris Christi, lava me; Passio Christi, conforta me; O bone IESU exaudi me; intra vulnera tua absconde me, Et nè permittas me, separari à te; ab hoste maligno defende me; in hora mortis meæ voca me; & jube me venire ad te, ut cum Sanctis & Electis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen,

Depre-

Deprecatio, quod minus digne, & recollectè celebraveris cum exoratione ut fructuosissima fiat Sacra Oblatio.

BEnignissime IESU, utinam mille mihi essent corda, & mille linguæ, ut possim te incessanter benedicere, ac laudare maximum beneficium, quo nunc me affecisti, atq; ut tecum os ad os loquerer, permisisti; ad mea verba è cœlis meas in manus delapsus es, & in me fœdissimum descendere non horruisti. Tibi omnes cæli Cives, ac universæ Orbis creaturæ, æternas pro me gratias rependant. Quis me nunc ditior? quis beatior? qui Regem cæli & terræ, felicitatis æternæ abyssum, beatitudinis tesserã, meis amplector præcordijs. Utiq; Domine, & ditissimus, & felicissimus beatissimus essem, nisi etiam in tanto munere recipiendo ingratus fuissem, cum enim exactissimâ devotione, ac reverentia celebrare debuissem, plurimas admisi distractiones, magnaq;

cordis ariditate Sacratissimum Corpus, & Sangvinem tuum sumpsi. Me miserum! quomodo insensata facta est anima mea, ut igne cœlesti nè minimum quidem incalescat! Ingemisco Domine mi, & erubesco, quod tam indecorè & irreverenter ad te accesserim, quod modo saltem, non compungar nec lugeam scelera mea, qui cum tam sæpe, imo quotidie hâc cœlesti mensa pascar, adhuc tam mundanus, tam carnalis, immundus, & tam plenus passionibus, concupiscentiarum motibus inveniar: Ignosce mihi clementissime IESU, & hæc ipsa imbecillitas mea tuam ineffabilem flectat misericordiam, nam qualitercunq; hoc obtulerim Sacrificium, imperfectum tamen meum intra suavissimum lateris tui vulnus, emendandum, & corrigendum commendo. O! Bone IESU, esto mihi IESUS, & quem ex misericordiæ tuæ visceribus, ad Sacerdotij dignitatem sublimare, Corporisq;

poteriſq; & Sanguinis tui nectare cibare dignatus es, pro tua pietate, huius Sacramenti operationibus, & virtutibus cunctis, implere misericorditer velis. Reforma Domine, corpus & animam meam, & propter vitæ, ac passionis tuæ theſaurum, Sanctiſſimæq; Genitricis tuæ Mariæ, perfice quod meæ deest contritioni, & pænitentiæ, cogitationes, loqvutiones, & operationes meas iuxta tuum æternum beneplacitum diſpone, meq; inter proſpera, & adverſa gradientem, ſemper & ubiq; cuſtodi. Reſuſcita me à morte peccati, & esto mihi vita perennis. Reprime quæſo in me, fomitem libidinis, cæterorumq; vitiorum, ſiſq; mihi ad ardua quæcunq; robur, & fortitudo, Adauge mihi gratiam, virtutes infunde, Sancti Spiritus dona largire, fervorem tribue, intellectum, ſenſus, omneſq; animæ meæ vires illumina, nec permittas me, ad priora errata mea redire; ſed esto mihi

contra Sathanæ insidias, carnis illecebras, mundiq; oblectamenta, munimen, & præsidium; quin & à terrenis, me abstrahe, cor meum liquefacito, sicq; me absorbeat mellislua vis amoris tui, ut me totum penetret, tecumq; unum efficiat. Exaudi me Domine, quia abyssus miseriarum mearum, abyssum invocat tuarum misericordiarum. O! dulcis IESU, nè discedas à me, quia nolo amplius esse sine te, sed tecum ac tibi deinceps vivere, & mori, qui es vera vita viventium, vivisq; & regnas cum Deo Patre & Spiritu Sancto. Amen.

Alia brevior deprecatio S. Thomæ Aquin:

PIjssime Deus meus, misericordia mea, remitte mihi indigno Sacerdoti, quod ad celebrãda Sanctissima Altaris tui mysteria accedere præsumpsi, tam indignè & indispositè, quod Sanctissimum Corpus tuum, & Sacratissimum Sanguinem tuum tractavi, &

sumpsi

ſumpſi tam indevotè & irreverenter Remitte mihi clementiſſime Deus, quidquid in hac Miſſa tam in dicendis, quàm in agendis tranſivi incautè, & negligenter. Mi Domine Deus, omnē indignitatem, & impudentiam, omnē indevotionem, & irreverentiam, omnem incuriam, & negligentiam, omnemq; ingratitudinem. & indecentiam meam, quam commiſi circa hoc tuum venerabile Sacramentum, oro dimitte mihi Pater miſericordiarum, pro tua miſericordia in æternum.

O Dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ, & iucunda requies ſpiritus mei, dulcis IESU. Immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficijs mihi collatis; ſingulariter verò, quia hodie me dignum feciſti, verum & immaculatum Corpus & Sanguinem tuum pretioſum conſecrare, per tractare, illudque tibi offero in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam

gloriam, & in remissionem omnium peccatorum tam meorum, quàm illorum, pro quibus orare, sacrificare, & offerre proposui; illoque in salutem, & consolationem animæ meæ cibari, & nutriri: quapropter verè dicere audeo, Cibus meus Christus, & ego ejus. Multiplico ergó, & quotiescunque respiro, multiplicare intendo meam voluntatem in infinitum in tuis laudibus: Precorque Beatissimam Virginem, Angelos, Sanctos, Sanctas, & Creaturas universas, pro me immensas tibi referre gratias, imò quia istæ minimè sufficiunt. Te supplico; tibi ipsi gratias agere, te laudare, & glorificare complaceas: & quia dignatus es istam indignam, tuam tamen facere habitationem, dignare quoque apud ipsam perpetuam facere mansionem: Effice me hominem secundum cor tuum: Uni me tibi intimè, & totum transforma, & transmuta in te. Salva me IESU Christe, & cunctam à me

hostis

hostis antiqui depelle nequitiam per tuam innocentissimam passionem. Oro tandem ut digneris gratias, & indulgẽtias omnes, quas hoc sacrificio, vel communione mediante acquirere, & lucrari possum, concedere tam mihi, quàm alijs vivis, & defunctis, quibus & tu vis, & Sanctissimus Pontifex intendit hac de causa me debere orare, Amen.

Alia Oratio.

O Clementissime, & misericordissime IESU miserere Ecclesiæ tuæ miserere huius loci, huius Congregationis. Concede, ut sit hic humilitas, pax, charitas, continentia, puritas. Concede, ut omnes dignè emendemus & corrigamus nos, & timeamus te, & serviamus tibi fideliter, & diligamus te, & placeamus tibi. Commendo pietati tuæ omnia negotia, & omnes necessitates nostras. Miserere omnium hominum pro quibus Sacro-

ſanctum Sangvinem tuum fudiſti. Eia converte, & revoca miſeros peccatores. Da vivis veniam & gratiam. Da fidelibus defunctis requiem, lucemque ſempiternam. Amen.

Alia Oratio ex lib: 8. Conſtit: Apoſt. Clementis I. Pont. Max.

DOmine Deus omnipotens Pater Chriſti, Filij tui benedicti, exauditor invocantium te in rectitudine, qui ſcis interpellationes tacentium: gratias tibi agimus, quod feciſti nos dignos participationis Sanctorum myſteriorum tuorum, quæ præbuiſti nobis in confirmationem eorum, quæ bene condita ſunt in cuſtodiam pietatis, & in remiſſionem peccatorum; quoniam nomen Chriſti tui invocatum eſt ſuper nos, & tibi conciliati ſumus

Qui ſegregaſti nos à communicatione impiorum, coniunge nos cum conſecratis tibi. Confirma nos in veritate

ritate Sancti Spiritûs. Ignorata revela, quæ desunt exple, cognita corrobora: Sacerdotes immaculatos tuere in servitute tua: Reges conserva in pace, magistratus in iustitia, cælum in salubritate, fructus in fertilitate, mundum in providentia omni ex parte sufficienti.

Nationes bellicosas reprime. errantes converte, populum tuum sanctifica. Virgines conserva, matrimonio junctos custodi in fide, ignorantes corrobora, infantes perduc ad virilem ætatem, novitios confirma, catechumenos instrue, & immutatione dignos redde, nosq; omnes congrega in regnum cælorum, in Christo IESU Domino nostro; cum quo tibi gloria, honor cultus, & Sancto Spiritui in sæcula. Amen.

Oratio ad Beatam V. M.

O MARIA Virgo dulcissima, & Mater Dei dignissima, miserere mei

vilissimi peccatoris: Saluto & veneror te toto corde. Impetra mihi, obsecro, plenam omnium peccatorum remissionem. Impetra perfectam mei mortificationem & abnegationem. impetra veram humilitatem, patientiam, charitatem, & linguæ atque sensuum omnium continentiam. Impetra puritatem, simplicitatem, nuditatem, libertatemq; mentis, & perfectam cum Dei voluntate conformitatem; ut sim homo secundum cor filij tui. Amen:

Alia ad Beatam Virginem.

O Serenissima & inclyta Virgo MARIA, Mater Domini nostri IESU Christi Regina cæli & terræ: quæ eundem Creatorem omnium creaturarum in tuo sancto utero digna fuisti portare, cuius idem veracissimum Corpus, & Sangvinem, ego indignus sumere præsumpsi, rogo te, per Virginalem humilitatem tuam, & per Passionem, & Mortem eiusdem Filij tui,

ut apud

ut apud ipſum pro me miſero peccatore intercedere digneris, ut quidquid in eius oblatione benedictiſſima ignoranter, vel incautè commiſi, tuis ſanctiſſimis precibus mihi dignetur indulgere. Amen.

Rythmus Sancti Thomæ, ad Sacram Eucharistiam.

ADoro te devotè latens Deitas,
Quæ ſub his figuris vere latitas.
Tibi ſe cor meum totum ſubijcit,
Quia te contemplans, totũ deficit.
Viſus, tactus, guſtus, in te fallitur,
Sed auditu ſolo tutò creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius.
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat ſola Deitas,
At hic latet ſimul & humanitas:
Ambo tamen credens atq; confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.
Plagas, ſicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi ſemper magis credere,

In te ſpem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præſtans homini:
Præſta meæ menti de te vivere,
Et te illi ſemper dulce ſapere.
Pie Pelicane IESU Domine,
Me immundũ munda tuo Sangvine:
Cuius una ſtilla ſalvum facere
Totum mundũ quit ab omni ſcelere
JESU quem velatum nunc aſpicio,
Oro fiat illud quod tàm ſitio,
Ut te revelatâ cernens facie,
Viſu ſim beatus tuæ gloriæ.
AMEN.

Compunctoria conſideratio de excellenti, ſed niſi cautè tractetur nimis tremendo Statu Sacerdotali, compendiata ex Hebdomada Sancta Pragæ edita. Anno. Domini 1703.

AD hanc, quâ ſuper omnes Reges terræ imò ſupra Angelos excellis, ſacerdotij dignitatem elegit te ô Sacerdos non alius niſi Deus, & quidem

tot alijs te longè melioribus relictis, ex sola pietate sua. Deus hic tuus modo Pater est, si te in Mensa illius, ut decet Filium amantem geras, sed & supra alios severior tuus Iudex erit, si tam gravem obligationem tuam negligenter tractaveris: amas nè Patrem, times nè Iudicem?

Finis electionis tuæ est iste, ut non terrenæ tuæ utilitati, sed divino honori, ac (non neglecta sua,) animarum nimis carô sanguinis ipsius pretio redemptarum saluti inservias, vide ergo, ne plus pro temporali fructu, pro decima, pro censu quàm pro æterna tua, tibiq; commissorum saluatione sudes, labores, & litiges.

Non ad montem Dei, sed ad formidandum cælestis convivij mensam fere quotidie vocaris, attende itaq; ut nudis pedibus, Mundanis scilicet exutus affectibus ad celebrandum accedas, pollutis labijs nunquã Corpus Christi consecres, cave nè impuris manibus Sacra-

mentum mundiſſimum tangas, in cor tuum à peccatis non emundatum ſuſcipias, niſi forte, potenter cum potentibus cruciari, aut cum Udone impuro hic & in æternùm lugere velis.

Gravia ſunt ſæcularium ſcelera, ſed Sacerdotum máxima, quia à domeſticis, in Domo Dei, in Menſa tam ſanctâ, in tanta ad pietates exercendas obligatione perpetrata. Multùm deliquit innocentem Chriſtum apud columnam flagellans Carnifex, ſed plus infinitè peccavit, Iudas dolosè oſculans, quia Sacerdos, quia domeſticus:

Suſcepiſti Sacerdotium, Sanctè itaq; Sancta tangas, ſine tædio, ſine murmure omnibus dignis Sacramenta miniſtres, divites non ſcandaliſes, pauperes Magnatibus indiſcretè non poſtponas, ſed omnes tuæ curæ ſubditos ſolatijs paſce, Sacramentis Sacroſanctis vere indigentes nutri, ſalutari doctrinæ divinæ verbo ſagina, & vel maximè vitæ tuæ irreprehenſibilis exemplo

plo cum humili gravitate cunctos ad virtutem trahe-

Potestas tua, tanta est, ô Sacerdos, ut pro tua voluntate, dum verba consecrationis profers, ad Altare Sanctum descendat Filius Dei, panisq; in Corpus eius verum transubstantietur; Etiam cœlestis januæ dispensator factus es, cave tamen, nè dum alijs superna aperis ipsemet reprobâ conversatione portam felicitatis tibi claudas, cumq; alijs peccata dimittis, time, nè tu ipse ea contrahas. Infaustũ quape est, alijs virtuosa suadere, & seipsum absurdô ne-glectu perdere.

Quanta aviditas quàm zelosa pietas, sæcularium ad cibum hunc altaris Sanctissimum accedentium? quid non oporteat facere Sacerdotem, tam tremendo negotio sese occupantem. Aucta nobis sunt dona, sed non diminutæ rationes donorum. Tenent digiti tui, cui cælum sedes Redemptorem, suntnè puri? Rubet toties sacratis-

simo

ſimo Chriſti ſanguine tua lingua, eſt nè immunis, à vaniloquio, à detra-ctione, ab otioſitate? Intrat cor tuum tam ſæpe ſuavis IESUS, eſt nè ſemper mundū, eſt nè ipſi fidele, eſt nè pro tanta benevolentia gratum?

Agnus eſt quem manibus geſtamus inter lilia lilijs, id eſt caſtiſſimis virtutibus enutritus, ô utinam! de hac puritate mentis & corporis huic Agno digna pabula miniſtremus, & non tantùm in alba linea, non tantùm in pretioſo apparatu, ſed magis in candida ſinceritatis compoſitione eidem Agno ſerviamus. *Nugæ* (declamatore Bernardo) *inter ſæculares nugæ ſunt, in ore autem Sacerdotis, blaſphemiæ.* ſi de nugis hoc ſentit Sanctus Doctor, quid de criminoſis loquelis, maledictionibus?

Ecce mundus Sacerdotibus plenus eſt: ait Gregorius. O utinam ferventibus, nè Deus offendatur. O! utinam zelantibus, nè proximus ſcandalizetur: o! utinam vigilantibus, nè oves pericli-

tentur

tentur; ô! utinam dignitatis ſuæ, periculiq; memoriam habentibus, nè plus lucra ſæculi, quàm animarum tantô pretiô redemptarum quærantur.

Sed ô! bone Deus; noſter ſtatus, gratiæ tuæ bonitas eſt, iugum noſtrum quod portamus ſuavitas tua eſt, vocatio noſtra, miſeratio tua eſt, ergo ulterius miſerere, nos in laboribus adiuva, nos in periculis tuere, nos virtutibus tibi placitis adauge, ut felici ſorte, cum abundanti bonorum operum proventu, animarumq; lucro ad te Sacerdotem maximum, quando tibi placuerit revertamur.

PRECES.

Ad lucrandas (tam intra quàm extra tempus Iubilæi) plenarias indulgentias: vel sibi, vel animabus in purgatorio applicandas.

ORATIO PRÆPARATORIA.

OMnipotens sempiterne Deus, cuius misericordiâ à peccatis omnibus æternæque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus pœnis obnoxius permaneam: cùm verò his diluendis opera mea non sufficiant, ad inexhaustum meritorum Unigeniti Filij tui Domini nostri IESU Christi, Sanctorumque thesaurum confugio, ut huius abundantiâ tenuitati & indigentiæ meæ subveniatur. Promptum me ad omnia, quæ hunc in finem præstanda sunt, offero. Suscipe ea, o Pater misericordiarum, in unione Passionis & Mortis eiusdem Filij tui plenariæque huius indulgentiæ

n e li-

me licet indignum fac participē. Am̄

Pater noſter, &c. ave Maria, &c.

I. ORATIO ad DEVM Patrem.

Pro exaltatione S. Matris Eccleſiæ.

MEmento, ô Pater æterne, congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio. Agnoſce Eccleſiam velut Sponſam Unigeniti Filij tui, pro qua ipſe Sanguinem ſuum profundere non dubitavit; hanc obſecro, ſanctitatis decore, gratiarum opibus, hæreditatis amplitudine, ita exalta; ut digna compareat tali Sponſo, tantoq; redemptionis pretio. Reſpice benignè eiuſdem S. Matris filios, eorumque numero univerſas gentes aſſocia, ut omnes te Deum Patrem, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, unâ cum S. Spiritu fide vivâ agnoſcant, ſpe firmâ invocent, & charitate perfectâ complectantur. Am̄.

Pater noſter, &c. ave Maria, &c.

℣. Vide, Domine, & viſita vineam iſtam,
℟. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

ORE-

OREMUS.

Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster JESUS Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit &c.

II. ORATIO ad DEVM Filium

Pro extirpatione hæresum.

O JESU, lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Fac, oro, per inæstimabilem passionis & mortis tuæ virtutem, ut pulsis hæresum & errorum tenebris, veritatis tuæ lumen omnes amplectantur, & in optatum Ecclesiæ tuæ gremium confluant. O Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum protege, & contra vim insidiasque eorum defende, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. Fac,

ut unum omnes paſtorem admittant, & unum omnium ſit ovile. Mane nobiſcum Domine, quoniam dixiſti: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Oſtende Eccleſiam tuam ædificatam eſſe ſuper petram; & portas inferi non prævalere adverſus eam. Amē.

Pater noſter, &c. Ave Maria &c.

℣. *Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi.* ℞. *Et animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem.*

OREMUS.

Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, preces placatus admitte, ut deſtructis adverſitatibus, & erroribus univerſis, ſecurâ tibi ſerviat libertate. Per Dominum, &c.

III. ORATIO ad SPIRITUS

Pro concordia Chriſtianorum Principum.

O S. Spiritus, Spiritus amoris, & pacis, qui tot tamq; diverſas gentes

tes in unitate fidei congregasti: largire Christianis Principibus, eorumq; consiliarijs abundantiam tuæ gratiæ, novoque charitatis tuæ mandato, quod abiens ex hoc mundo discipulis suis Iesus dedit, eorum corda imbue, ut ex hoc omnes agnoscant, eos in numero electorum tuorum censendos & Christiano nomine dignos esse. Fac, ne ullâ unquam cupiditate abducti quicquam moliantur, quod divinæ tuæ gloriæ, concordiæq; Ecclesiæ adversetur. Sed unitis potius viribus ad pacis æternæ visionem, ad cælestem Hierusalem populum sibi subiectum unâ secundum perducere nitantur. Añ.

Pater noster. &c. Ave Maria, &c.
℣. *Fiat pax in virtute tua.*
℟. *Et abundantia in turribus tuis.*

OREMUS.

DEUS, à quo sancta desideria, recta consilia & iusta sunt opera: da servis tuis illam quam mundus dare non

re non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublatâ formidine tempora ſint tuâ protectione tranquilla. Per Dominum.

ORATIO ad SS. TRINIT:

Qua peractorum operum ad indulgentias lucrandas præſcriptorum fit oblatio.

PRæſtitiſſe nunc videor, o Sanctiſſima Trinitas, quæcunque ad plenariam debitarum pœnarum indulgentiam impetrandam præſcripta fuerunt. Hæc & multò plura abſque eo divinæ Maieſtatis tuæ, utpote innumeris eidem nominibus obſtrictos præſtare nos oportuiſſet. Infinitæ bonitati tuæ, profuſæq; in nos licèt indigniſſimos liberalitati tribuendum eſt, quod tam cumulatè viliſſima debitæ ſervitutis noſtræ opera remunereris. Suſcipe ergô o SS. Trinitas, à me quomodocunq; præſtita opera, & fac, ut horum defectus Paſſione & morte Domini noſtri IESU Chriſti, eiuſdemq;

pro nobis pretiosissimo effuso Sanguine suppleantur: atq; ita me (*vel* animam istam) plenariæ huius indulgentiæ fac participem. Pro quo beneficio tibi cœlum & terra mecum laudes, & gratiarum actiones cantent, nunc & in perpetuum. Amen.

Pater noster, &c. Ave Maria &c.

Te Deum laudamus, &c.

PRÆPARATIO
Ad Beatam Mortem.

Fac modo quæ moriens, facta fuisse velis.

ORATIO ad CHRISTVM, *Pro felici morte.*

IAm cõmendo sanus & valens, spiritũ meũ ut cõmendatum habeas ó Christe, quando illum commendare non potero ampliùs etsi suis vinculis nondum solutum. Timeo tempus illud, quo

inter vivos ero, nec eſſe me ſciam. Videmus in moribundis pleriſque id fieri; ſpirant, vivunt, & vivere ſe neſciunt. Quis palpitantem, tunc ſpiritum & migrare trepidantem tandem ex amico carcere migrantem recipiet, ſi tu eum excludes orbis Conditor Chriſte patientiſſime, recordare etiam, te in illis extremis anguſtijs lachrymarum, & deſeri quæſtum eſſe, & Spiritum Patri commendaſſe, exclamaſſe, exſpiraſſe. Ad te ego clamo, ut tu meus Salvator ſpiritum meum tunc ſuſcipias quocunque morbo, tempore, loco è corpore abeuntem. Recordare bone IESU, in Cruce te brachia expandiſſe, pectꝰ aperuiſſe, caput inclinaſſe. Ecce anima mea à rebus creatis omnibus deſerta refugium quærit, in illa tua brachia ſeſe immittit, in illud tuum pectus ſe ingerit, admitte obſecro miſeram, neq; inde exturba, donec ira DEI tranſeat. Hic ſecura, hic ab inferorum ſatellitibus tuta lateat.

Ergo in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, imò tuum, quia tu eum creaſti, & reparaſti. Figmentum tuum, ò Deus nè deſpice.

Denique commendo animam Creatori, qui eam ex nihilo creavit? Salvatori, qui pro ejus ſalute vulneratus, in Cruce obiit, Spiritui Sancto, qui ſe ei tam copiosè communicavit. Virgini glorioſæ, Angelo meo cuſtodi, meque ipſum inter brachia Redemptoris mei dico, vivere volo, & mori cupio. In manus tuas commendo ſpiritum. DEUS propitius eſto mihi peccatori.

Similiter proteſtor, quòd quando in agone conſtitutus ampliùs linguâ loqui non valuero, me ex animo deſiderare DEO meo uniri, exnunc pro tunc illi offero agoniam, labores, ſudores, & paſſiones meas uniendas agoniæ, ſanguineo ſudori, doloribus, & paſſionibus chariſſimi mei IESU Chriſti, pro remiſſione peccatorum meo-

rum, & ad gloriam eius æternam: omnesque ipsi assistentes Angelos toto corde deprecor, ut me in hoc mortis articulo suis sublevent orationibus.

Aliæ Orationes.

AGnosco Domine, creaturam, tuam non à Dijs alienis creatam sed à te DEO vivo, & vero, quia non est alius DEUS præter te, & non est secundum opera tua. Lætifica Domine, animam servi tui, & delicta juventutis, & ignorantiás ejus nè memineris, sed secundùm magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Liberet me ab æterna morte Christus, qui pro me mori dignatus est. Christus verus ille pastor me inter oves suas agnoscat, & in sorte electorum suorum constituat. Ita precor, ita spero in nomine DEI Patris Omnipotentis, qui me creavit, in Nomine IESU Christi Filij DEI vivi, qui pro me passus est, in Nomine

Spiritus Sancti, qui in me gratia sua sæpius effusus est Amen.

Domine IESU Christe; per illam amaritudinem, quam pro me miserrimo sustinuisti in cruce maximè in illa hora, quando nobilissima anima tua egressa est de benedicto Corpore tuo, deprecor te, miserere animæ meæ in egressu suo Amen.

Qui passus es pro nobis, IESU Christe miserere nobis. *Quinquies.*

Ad B. Virginem Mariam.

O Domina mea dulcissima, visceribus misericordiæ plena, per septem dolores tuos, succurre mihi misero peccatori, antequam mors subitanea & improvisa superveniat, nè subitò, & imparatus, de hoc mundo transeam. Ora pro me Virgo MARIA benedicta ob unigeniti tui mortem amarissimam, ut peccati detestatione, & diaboli & operum ejus abrenuntiatione, vera contritione, pura

ra & humili confeſſione, pœnitentia, & ſatisfactione, digna Dei acceptione, proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus, de hoc mundo tranſeam. Fac mecum miſericordiam tuam Mater Dei, in illa tremenda hora, quando ſpiritus vitales deficient, & mortua lingua ſe movere non poterit ad invocandum te, neque oculi mei lucem tuam capere poterunt, aureſq; meæ nulli voci pateſcent. Memor eſto ô MARIA precum, quas nunc fundo ad aures pietatis tuæ, & ſubveni mihi in illa ultima hora neceſſitatis, ut liberer à miniſtris diaboli, & collocer cum Chriſti Filij tui ſervis, & amicis tuis Amen.

Alia ad eandem.

AUdi gemitus, & dolores ultimos ſervi tui, dulciſſima Virgo Mater MARIA, Fons vitæ & veniæ, Salus omnium in te ſperantium; audi & intercede, ut à miniſtris Satanæ liberatus cum Chriſti fidelibus, Filij tu

servis & amicis, in beata regione vivorum collocer.

MARIA Mater gratiæ, dulcis Parens clementiæ, tu nos ab hoste protege, & mortis horâ suscipe.

Mater sanctæ spei, ô MARIA, in manibus tuis sortes meæ, adjuva me: tibi me totum, & judicium paupercula animæ meæ, tuæ misericordiæ committo.

Suspiria infirmi coram Christi Crucifixi effigie.

AD te converto me Redemptor meus: convertere & tu ad me ô Spes mea unica!

Clementissime IESU, concede huic vilissimæ creaturæ beneficium Redemptionis, & recipe miserabilem hanc animam intra brachia tuæ misericordiæ.

Ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua.

Bone IESU, Sanguis ab his venis pro

profluxit, ut me illo redimeres. Ego ſum illa merces tantô pretiô empta. Ego ſum illa ovis perdita: reduc eam, ô dulcis Paſtor, & pone inter illas, quæ ſunt in ovili tuo.

Reſpice Domine Sancte Pater de excelſo cælorum habitaculo, ecce vox Sanguinis Fratris noſtri IESU pro nobis clamat ad te de Cruce.

Reſpice innocentes manus, quæ diſtillant pretioſum Sanguinem; ut dimittas iniquitatem meam, & nè requiras opera manuum mearum.

Intuere illud lanceâ perfoſſum pectus, & amore mei apertum cor, meque ex ſacro hoc fonte renova.

Per ſacros illos pedes, duris clavis perforatos, dirige greſſus meos, ut non recedat hac hora à ſemita lucis & veritatis.

Defige oculos, ô Pater cœleſtis, in faciem hanc dilecti Filij tui, & in membra conquaſſata Chriſti tui, & per miſerias, quas ille amore mei ſuſtinui-

miserere animæ meæ.

Propter peccata populi tui, vulnerasti Dilectum cordis tui: eja! Pater misericordissime, quod ego non mereor, meretur pro me Christus tuus, ejus amore amplectere me gratia tua ut filium, & da mihi osculum pacis æternæ.

Oratio pro felici morte impetranda.

O Sancte IOSEPH, qui in suavissimo IESU clientis tui, & dulcissimæ Sponsæ tuæ MARIÆ complexu ex hac vita emigrasti, succurre mihi, ô Sancte Pater, cum IESU, & MARIA, tunc potissimum, quando mors vitæ meæ finem imponet, illudq; (quod unice peto) solatium mihi impetra, ut in ijsdem Sanctissimis IESU & MARIÆ brachijs expirem. In manus vestras vivens & moriens commendo spiritum meum, IESUS, MARIA IOSEPH.

Ad S. Barbaram Virginem & Martyrem.

AVe Mater gloriosa Barbaraq; generosa: Paradisi vernans rosa: casti-

ſtitatis lilium. Ave Virgo pulchra tc
ta, charitatis fonte lota, dulcis, m
tiſq; devota, Vas virtutum omniun
Ave criminis ignara. Sponſum aud
voce clara: Veni pulchra, veni chara
veni coronaberis. Ave Barbara ſere
na: pulchra quaſi luna plena, ſingula
cantilena Sponſum Agnum ſequeris
Ave Barbara Beata, quæ cum Sponſ
præparata: nuptiarum adoptata, tran
ſiviſti gaudia. Ave fulgens margarita
in corona IESU ſita; tam in mort
quàm in vita: ſis nobis propitia.

℣. *Specie tua & pulchritudine tua,*

℟. *Intende proſpere procede & regna.*

ORATIO.

INterceſſio nos quæſumus Domin
Beatæ Barbaræ Virginis & Martyr
ſemper adjuvet, ut non ſubito mor
amur, ſed ante diem mortis noſtr
Sanctiſſimi Corporis, & Sanguinis t
ſacriq; olei unctionis Sacramentis ſ
lubriter muniamur, & ab omni ma
protegamur: & ad cœleſtia regna p

ducamur. Qui vivis, & regnas, cum Deo Patre in unitate Spiritus S. Deus, per omnia sæcula sæculorum Amen.

PROTESTATIONES.

S. CAROLI BOROMEI.

Pro felici morte impetranda.

PROTESTATIO I.

IN Nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, ego infelix & miser peccator, protestor in præsentia tua, ô Angele Dei, assignate mihi à Divina Majestate pro Ductore, cùm primùm natus sum, velle & desiderare me mori in ea sola vera & Catholica fide, quam S. Romana & Apostolica tenet & profitetur Ecclesia, & in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt, unquam vel uspiam mortui sunt: nec desidero diutiûs vivere, quàm placeat Deo meo, cui omnem meam voluntatem integrè, & ex toto subiicio.

PRO-

PROTESTATIO II.

PRoteſtor etiam, ô Angele Dei, deſiderare & velle me ſub tua ſancta cuſtodia ac protectione, diſcedere ex hac vita, cum ſpe divinæ miſericordiæ, ſine ulla titubatione in fide, non obſtante quacunq; multitudine & gravitate peccatorum meorum, certò ſciens ac firmiſſimè credens, etiam unam ſolam guttam pretioſiſſimi Sanguinis Domini noſtri IESU Chriſti ſufficientem eſſe & fuiſſe, non ſolùm ut me ſalvaret, ſed univerſum etiam genus humanum, quin & mille mundos, ſi ita placitum fuiſſet divinæ ſuæ Majeſtati.

PROTESTATIO III.

SImiliter proteſtor, ô Angele Sancte, petere me ex intimo corde, participem fieri miſericordiæ Redemptoris, & Domini mei I E S U, remiſſionemque omnium peccatorum meorum conſequi: ſciens, quòd ipſe eam

nulli peccatori quantùmvis gravi & abominabili neget, ritè contrito & confesso, idque per & propter merita amarissimæ suæ passionis, & mortis, & virtutem pretiosissimi Sanguinis sui pro me indignissimo in ligno Crucis copiosè effusi; per merita demum sanctissimæ Matris suæ, Virginisquè MARIÆ & omnium Sanctorum & Angelorum.

PROTESTATIO IV.

ITerum protestor, Sanctissime mi Custos supplicare me divinæ pietati ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab æterno prædestinavit in suam gloriam etiamsi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio ad novissimum usque judicij diem, dummodò tandem per ipsius infinitam misericordiam consequar vitam æternam.

PROTESTATIO V.

SAnctissime & vigilantissime Custos, protestor demum constituere me Te-

procuratorem Teſtamenti, ultimæquè voluntatis animæ meæ, ad impetrandum mihi à Domino meo IESU tres gratias. Prima eſt, ut mihi donet unum ſolum lachrymoſum ſuſpirium, ex infinitis illis, quæ habuit ipſe, dum per tres horas vivus fuit in Cruce, quorum efficaciâ & virtute mitigentur lachrymabiles illi ſingultus cordiſquè preſſuræ & anguſtiæ quibus in hora mortis affligar, & ut glorioſiſſima Mater Dei MARIA dignetur me vel unico etiam aſpectu, ex ijs quos ipſa ſub Cruce ſtans habuit, defigendo in unicum Filium ſuum Virgineos oculos, ſuſcipiendo me in eorum numerum, qui ejus precibus & meritis in die Iudicij obtinebunt ſalutem & vitam ſempiternam. Altera gratia eſt, ut tu fideliſſime Cuſtos meus in illa potiſſimùm hora mihi ſuccurras, quando anima mea ſeparabitur à corpore meo, ut inveniam benignum Iudicem, meritò flagran-

grantissimæ illius charitatis, quâ Paternum ipsius pectus in Cruce fuit inflammatum pro salute peccatorum. Ultima demum gratia est, ut tu idem piissime Custos meus animam meam tibi habeas commendatam, eamquè de ergastulo corporis egressam dexteræ tuæ potentiâ Redemptori meo offeras, ut Eum una tecum & Sanctis omnibus in cœli gaudiis videam, perfectè amem, eoquè æternaliter fruar, cui sit laus, honor, & gloria in omnem æternitatem.

ORATIONES S. BRIGITTÆ.

De amarissima Passione Domini IESU Christi, quas quicunque devotâ reflexione quotidie per annum dixerit, rara beneficia Dei & consolationes cœlestes,

testes, tam in anima, quam in corpore, reportaturum se certò confidat.

ORATIO I.

O IESU Christe, æterna dulcedo te amantium, jubilus excedens omne gaudium, & omne desiderium, salus & amator peccatorum, qui delicias tuas testatus es esse cum Filijs hominum homo factus in fine temporum: memento omnis præmeditationis & intimi mœroris, quem in humano corpore sustinuisti, instante saluberrimæ Passionis tuæ tempore in divino corde præordinato.

Memento tristitiæ & amaritudinis, quam in anima, te ipso testante, habuisti, quando in ultima cœna discipulis tuis Corpus & Sanguinem tuum tradidisti, pedes eorum lavisti, & dulciter eos consolando imminentem Passionem prædixisti.

Memento omnis timoris, angustiæ & doloris, quem in tuo Corpore delicato, ante Passionem Crucis tuæ pertulisti, quando post trinam orationem & Sanguineũ sudorem à Iuda Discipulo tuo tradebaris, ab electa gente capiebaris, à falsis testibus accusabaris, à tribus Iudicibus injustè judicabaris, in electa civitate, in Paschali tempore, in florida corporis juventute innocenter damnabaris, veste propria exuebaris, & vestibus alienis induebaris, colaphizabaris, oculis & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, spinis coronabaris, arundine in capite feriebaris, & innumerabilibꝰ alijs calumnijs lacerabaris.

Da Domine DEUS mihi quæso ob memoriam harum pœnarum & passionum, ante Crucis tuæ passionem, veram ante mortem meam contritionem, puram confessionem, dignam satisfactionem, ac omnium peccatorum remissionem Amen.

Pater

Pater noſter, Ave Maria.

ORATIO II.

O IESU mundi Fabricator, quem nulla dimenſio vero termino metitur, qui terram palmo concludis, recordare amariſſimi doloris, quem ſuſtinebas, cum Iudæi ſanctiſſimas manus tuas ad Crucem obtuſis clavis primò affixerunt, & ad perforandum delicatiſſimos pedes tuos, cùm non eſſes conveniens voluntati eorum, dolorem ſuper dolorem vulneribus tuis addiderunt, & ſic crudeliter te diſtraxerunt, & extenderunt in longum & latum crucis tuæ,ut diſſolverentur compages membrorum tuorum.

Deprecor te per hujuſmodi ſacratiſſimi, & amariſſimi in Cruce doloris memoriam, ut des mihi timorem, & amorem tuum. Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

ORATIO III.

O IESU cœleſtis Medice, recordare languoris, livoris, & doloris quos

in alto crucis patibulo levatus, paſſus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in ſuo ſtatu rectè permanſerat, ita ut nullus dolor ſimilis tuo dolori inveniretur, quia à planta pedis, uſque ad verticem capitis in te non fuit ſanitas, & tamen, omnium dolorum immemor, Patrem pro inimicis piè exoraſti, dicens: Pater Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciũt.

Per hanc miſericordiam, & ob memoriam illius doloris, concede ut hæc memoria Paſſionis tuæ amariſſimæ ſit omnium peccatorum meorum plena remiſſio Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

ORATIO IV.

O IESU vera libertas Angelorum, Paradiſus deliciarum, memento mœroris & horroris, quos ſuſtinebas, cum omnes inimici tui quaſi leones ferociſſimi te circumſteterunt, & co-

& colaphizationibus, conſpuitionibus, ungulationibus, cæteriſq; pœnis inauditis te moleſtaverunt

Per has pœnas, & per omnia contumelioſa verba, duriſſimaque tormenta, quibus te Domine IESU Chriſte omnes inimici afflixerunt, deprecor te, ùt liberes me ab omnibus inimicis meis viſibilibus & inviſibilibus, & dones me ſub umbra alarum tuarum ad perfectionem ſalutis æternæ pervenire Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

ORATIO V.

O IESU ſpeculum claritatis æternæ, memento illius mœroris, quem habuiſti, quando in ſpeculo ſereniſſimæ Majeſtatis tuæ conſpexiſti prædeſtinationem electorum per merita tuæ Paſſionis ſalvandorum, & reprobationem malorum per ſua demerita damnandorum, & per abyſſum miſerati

onis tuæ, qua nobis perditis peccatoribus & desperatis tunc condoluisti: & quam latroni in Cruce exhibuisti, dicens: Hodie mecum eris in Paradiso. Rogo te IESU facias mecum misericordiam in hora mortis meæ Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO VI.

O IESU Rex amabilis, & amice totus desiderabilis, memento illius mœroris, quem habuisti, quando nudus & miserabilis in Cruce pependisti, & omnes amici & noti tui adversus te steterunt: & nullum consolatorem inveniebas, nisi solam dilectam Genitricem tuam in amaritudine animæ suæ tibi fidelissimè adstantem, quam Discipulo tuo commendasti, dicens: Ecce Mater tua, deinde Discipulo: Mulier, ecce Filius tuus.

Rogo te pijssime IESU per gladium doloris, qui tunc ejus animam per-

pertranſivit, ut compatiaris mihi in omnibus tribulationibus, & afflictionibus meis corporalibus & ſpiritualibus, & da mihi conſolationem in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

ORATIO VII.

O IESU Fons inexhauſtæ pietatis, qui ex intimo affectu in Cruce dixiſti: Sitio, ſcilicet ſalutem generis humani, accende quæſo cordium noſtrorum deſideria ad omne opus perfectum, & ſitim carnalis concupiſcentiæ, æſtum mundanæ delectationis in nobis pènitus refrigera & extingue Amen. *Pater noſter, Ave Maria.*

ORATIO VIII.

O IESU dulcedo cordium, ingenſquè ſuavitas mentium, per amaritudinem aceti, & felis, quam pro nobis ſuſtinuiſti in Cruce, & deguſtaſti,

concede nobis miſeris peccatoribus. Corpus & Sanguinem tuum, omni tempore, & precipuè in hora mortis noſtræ dignè percipere ad remedium & conſolationem animarum noſtrarum, Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

ORATIO IX.

O IESU regalis virtus, jubiluſque mentalis, memento anguſtiæ & doloris; qnem paſſus es, quando præ mortis amaritudine & Iudæorum inſultatione cum magna voce te à Deo Patre derelictum clamaſti, dicens: DEUS meus, DEUS meus, ut quid me dereliquiſti? Per hanc anguſtiam peto à te, ut in anguſtiis noſtris non derelinquas nos Domine DEUS noſter Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

ORATIO X.

O IESU Alpha, & Omega, vit & virtus omni tempore recordare, quod à ſummo capite, uſque ad plantam

plantam pedis te pro nobis in aqua passionis tuæ demersisti.

Propter latitudinem, & longitudinem vulnerum tuorum, doce me, in peccatis demersum, per veram charitatem custodire latum mandatum tuum. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

ORATIO XI.

O IESU abyssus profundissima misericordiæ, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quæ pertransierunt medullam ossium, & viscerum tuorum, ut me submersum in peccatis emergas, abscondasquè me in foraminibus vulnerum tuorum á facie iræ tuæ, donec pertranseat furor tuus Domine. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

ORATIO XII.

O IESU veritatis speculum, signum unitatis, charitatisquè vinculum, memento multitudinis innumerabilis

um vulnerum tuorum, quibus à summo capitis usquè ad imum pedis vulneratus fuisti, & SS. Sanguine tuo rubricatus quam magnitudinem doloris in virginea carne tua pertulisti pro nobis pie IESU! Quid ultra debuisti facere & non fecisti?

Scribe quæso, ô pie IESU, omnia vulnera tua in corde meo, pretiosissimo Sanguine tuo, ut in illis legam dolorem tuum & mortem, ut in gratiarum actione usque in finem iugiter perserverem. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

ORATIO XIII.

O IESU Leo fortissime, Rex immortalis, & invictissime, memento doloris quem passus es cum omnes vires cordis & corporis tui tibi penitus defecerunt, & inclinató capite dixisti: Consummatum est.

Per hanc angustiam, & dolorem, miserere mei in ultima consummatione exi-

ne exitûs mei, cum anima mea anxiata fuerit, & ſpiritus meus conturbatus. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

ORATIO XIV.

O IESU unigenite altiſſimi Patris, ſplendor & figura ſubſtantiæ eius, memento obnixæ commendationis, quâ Patri Spiritum tuum commendaſti dicens: In manus tuas Domine, commendo Spiritum meum. Et laceratô Corpore, ruptô corde, cum valido clamore patefactis viſceribus miſericordiæ tuæ, expiraſti.

Per hanc pretioſiſſimam mortem, precor te Rex Sanctorum, conforta me ad reſiſtendum diabolo, mundo, carni, & ſanguini, ut mundo mortuus tibi vivam, & in noviſſima hora exitûs mei ſuſcipe ad te revertentem ſpiritum meum exulem & peregrinum. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

ORATIO XV.

O IESU vitis vera, & fœcunda

memento superefluentis & abundantis effusionis Sanguinis tui, quem tu de Corpore tuo sicut de botro expressum copiosissime effudisti, quando in cruce torcular solus calcasti, & lanceâ militari perfosô latere nobis sanguinem & aquam propinasti, ita ut nec minima gutta in te remaneret: & demum quasi myrrhæ fasciculus in altum suspensus fuisti, & delicata caro tua evanuit, & liquor viscerum tuorum exaruit, & medulla ossium tuorum emarcuit.

Per hanc amarissimam Passionem, & pretiosi Sanguinis effusionem: pie IESU, precor te, suscipe animam meam in agone mortis meæ. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

CONCLVSIO.

O Domine IESU Christe, Fili Dei vivi, suscipe hanc orationem in amore illo superexcellenti, in quo omnia vulnera tui Sanctissimi Corporis su-

ris ſuſtinuiſti, & miſerere mei famuli tui, & omnibus peccatoribus, cunctiſque fidelibus tam vivis quàm defunctis da miſericordiam, gratiam, remiſſionem, & vitam æternam. Amen.

SALVTATIONES.

Ad omnia membra Chriſti. & ſui ipſius, omniumque amicorum ad eundem commendatio.

SAlve tremendum cunctis poteſtatibus Caput Domini noſtri IESU Chriſti, Salvatoris noſtri, pro nobis ſpinis coronatum, & arundine percuſſum. Salve ſpecioſiſſima Salvatoris noſtri IESU Chriſti Facies, pro nobis ſputis illita, & alapis cæſa. Salvete benigniſſimi Domini noſtri IESU Chriſti, Salvatoris Oculi, pro nobis lachrymis perfuſi. Salve melliſluum Os, guttarq; ſuaviſſimum Domini noſtri IESU Chriſti, pro nobis felle & aceto potatum. Salvete Aures nobiliſſimæ Domini noſtri IESU Chriſti

Salvatoris, pro nobis contumelijs, & opprobrijs affectæ. Salve Collum humile IESU Christi, pro nobis colaphizatum, dorsumq; sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete venerabiles Domini nostri IESU Christi, Manus & brachia, pro nobis in Cruce extensa. Salve Pectus mitissimum Domini nostri IESU Christi, Salvatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum. Salve Latus gloriosum, Domini nostri IESU Christi, pro nobis lanceâ militis perforatum. Salvete Domini nostri IESU Christi Salvatoris nostri sacra misericordiæ Genua, pro nobis in orationibus flexa. Salvete Domini IESU Christi Salvatoris nostri, pedes adorandi, pro nobis clavis affixi. Salve totum Corpus IESU Christi, pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Salve Sanguis pretiosissime de Corpore Domini IESU Christi Salvatoris nostri, pro nobis effuse. Salve San-

ve Sanctissima Domini nostri IESU Christi Anima, in Cruce pro nobis in manus Patris commendata.

In eadem commendatione tibi commendo hodie & quotidie animam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes sensus & actus meos, omnes amicos, benefactores, & consanguineos meos, animas Parentum, Fratrum, sororum, & omnium amicorum, & inimicorum meorum: ut nos protegere, liberare, & defendere digneris ab omnibus insidijs inimicorum nostrorum, visibilium, & invisibilium, nunc & in perpetuum. Amen.

De eadem Passione Christi.

PRecor te amantissime Domine IESU Christe, propter illam eximiam charitatem, quâ humanum genus dilexisti, quando tu cælestis Rex pendebas in ara crucis, cum divina charitate, cum mitissima anima, cum tristissimo gestu, cum conturbatis sensibus

bus, cum transfixo corde, cum perstrepentibus membris, cum verberato corpore, cum sanguineis vulneribus, cum defluentibus rivis, cum expansis brachijs, cum confixis pedibus, cum extensis venis, cum clamoroso ore, cum rauca voce, cum pallida facie, cum mortali colore, cum lachrymosis oculis: cum vertigine capitis, cum ardenti amore, cum gemebundo gutture, cum sitibundis desiderijs, cum amaro gustu aceti, & fellis, cum inclinato capite morti obviante, cum divisione tenerrimi corporis & deificæ animæ, cum aperto latere, cum origine viventis fontis. In ea charitate precor te pijssime Domine IESU Christe, quâ Cor tuum amorosum scindebatur, ut sis mihi placabilis super multitudine peccatorum meorum, ut compleas in bonis desiderium meum, & bonum ac sanctum finem vitæ meæ, necnon gloriosam lætamq; resurrectionem mihi propter tuam largissimam mise-

misericordiam tribuere digneris Qui vivis & regnas, Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

℣. *Proprio Filio suo non pepercit Deus.*
℟. *Sed pro nobis omnibus tradidit illū.*

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui ex nimia charitate unicum Filium tuum pro nobis incarnari, nasci, pati, flagellari, crucifigi, & mori voluisti, præsta nobis quæsumus, ut per eius sacratissima vulnera quæ pro nobis pertulit, eius pretiosissimo Sanguine purificati à peccatis, erroribus, & negligentijs nostris, tibi Domino Deo nostro placiti Templum Spiritus S. & Patriæ cælestis participes efficiamur. Per Christum Dominum nostrū. Am̄.

Considerationes de Passione Christi, Divi Gregorij Papæ.

O Domine IESU Christe, adoro te in Cruce pendentem, & coro-

nam ſpineam in capite portantem, deprecor te, ut me Crux tua liberet ab Angelo percutiente. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

O Domine IESU Chriſte, adoro te in Cruce vulneratum, felle, & aceto potatum, deprecor te, ut vulnera tua ſint remedium animæ meæ, Am̃:

Pater noſter. Ave Maria.

O Domine IESU Chriſte, propter illam amaritudinem quam pro me miſerrimo ſuſtinuiſti in cruce, maxime in illa hora, quando nobiliſſima anima tua egreſſa eſt de benedicto Corpore tuo, deprecor te, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo, & perduc eam in vitam æternam. A. *Pater noſter. Ave Maria.*

O Domine IESU Chriſte, adoro te deſcendentem ad inferos, & liberantem captivos, deprecor te, ne permittas me illuc intrare. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

O Domine IESU Chriſte, adoro te in ſepulchro poſitum, myrrhâ, & aroma-

aromatibus conditum, deprecor te, ut tua mors, ſit vita mea. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

O Domine IESU Chriſte, adoro te reſurgentem à mortuis, aſcendentem ad cœlos ſedentemq; ad dexteram Patris, deprecor te, ut illuc te ſequi, & tibi præſentari merear. Amen.

Pater noſter. Ave Maria.

O Domine IESU Chriſte, Paſtor bone, Iuſtos conſerva, Peccatores juſtifica, omnibus fidelibus miſerere, & propitius eſto mihi peccatori. Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

LITANIÆ
De SS. Nomine Iesu.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis,
Fili

Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jesu Fili Dei vivi,
Jesu potentissime,
Jesu fortissime,
Jesu perfectissime,
Jesu gloriosissime,
Jesu mirifice,
Jesu jucundissime,
Jesu charissime,
Jesu clarior Sole,
Jesu pulchrior Lunâ,
Jesu splendidior stellis,
Jesu admirabilis,
Jesu delectabilis,
Jesu honorabilis,
Jesu humillime,
Jesu pauperrime,
Jesu mitissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu castissime,
Jesu amator castitatis,

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Jesu amator pacis,
Jesu amator noster,
Jesu Speculum vitæ,
Jesu exemplar virtutum,
Jesu decus morum,
Jesu zelator animarum,
Jesu refugium nostrum,
Jesu Pater pauperum,
Jesu consolator afflictorum,
Jesu thesaurus fidelium,
Jesu gemma pretiosa,
Jesu armarium perfectionis,
Jesu bone pastor ovium,
Jesu stella maris
Jesu lux vera.

Miserere nobis.

Jesu sapientia æterna,
Jesu bonitas infinita,
Jesu gaudium Angelorum,
Jesu Rex Patriarcharum,
Jesu Inspirator Prophetarum,
Jesu Magister Apostolorum,
Jesu Doctor Evangelistarum,
Jesu fortitudo Martyrum,
Jesu lumen Confessorum

Miserere nobis.

Jesu sponse Virginum, Mis.
Jesu Corona Sanctorum omnium, Mi.
Propitius esto: Parce nobis Jesu,
Propitius esto: Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo, Libera nos Jesu.
Ab omni peccato, Libera nos Iesu.
Ab ira tua, Libera nos Iesu.
Ab execranda iurandi consuetudine, Libera nos Iesu.
Ab omni periurio & blasphemia. Lib.
Ab insidijs diaboli, Libera nos Iesu.
A peste fame, & bello Libera nos Iesu.
A transgressione mandatorum tuorum, Libera nos Iesu.
Ab incursu omnium malorum, Libera.
Per Incarnationem tuam, Libera.
Per Adventum tuum, Libera nos Iesu.
Per Nativitatem tuam, Libera.
Per circumcisionem tuam, Libera.
Per cœlestem Nominis IESU impositionem, Libera nos Iesu.
Per Dolores tuos, Libera nos Iesu.
Per flagella tua, Libera nos Iesu.
Per mortem tuam. Libera nos Iesu.

Per Resurrectionem tuam, Libera.
Per Ascensionem tuam. Libera nos.
Per Gaudia tua, Libera nos Iesu.
Per gloriam tuam, Libera nos Iesu.
Per dulcissimam Virginem Matrem tuam, Libera nos Iesu.
Per intercessionem Omnium Sanctorum tuorum, Libera nos Iesu.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut dulcem mellifluі Nominis I E S U memoriam in tabulis cordis nostri, digito tuo inscribere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Nomen hoc Sanctissimum, & viventes in opere, & morientes in corde, & ore habere mereamur, Te rogamus audi nos.
Ut benignissime I E S U, nobis sis I E S U S: Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Iesu.
Agnus Dei, &c. Exaudi nos Iesu.
Agnus Dei, &c. Miserere nobis Iesu.
Iesu Christe audi nos.

Iesu

Iesu Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. *Pater noster, &c.*

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc & usq; in sæculum.*

℣. *Non nobis Domine non nobis.*

℟. *Sed Nomini tuo da gloriam.*

℣. *Exurge Christe adiuva nos.*

℟. *Et libera nos propter Nomen tuum.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMUS.

DEUS, qui gloriosissimũ Nomen Domini nostri IESU Christi fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum, atq; terribile; Concede propitius, ut omnes qui hoc Nomen IESU devotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis, & interminabilis

bea-

beatitudinis obtineant in cœlis. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO.

Divi Gregorij Papæ Eccl: Doctoris.

BOne IESU, Verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, ut à Spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies æterna, & unus omnium spiritus, ubi est certa securitas, & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suavitas: ubi tu Deus cum Patre & Spiritu Sancto, vivis, & regnas, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Sanctus Bernardus ad Iesum.

O Bone Iesu, ô pijssime Iesu, ô dulcissime Iesu, ô Iesu Fili Mariæ, Virginis, plene misericordiâ, & pietate. O dulcis Iesu, secundum magnam mise-

misericordiam tuam, miserere mei. O Clementissime Iesu, te precor per illum Sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc Nomen Sanctum Iesus invocantem. O Nomen Iesu, Nomen dulce: Nomen Iesu, Nomen delectabile: Nomen Iesu Nomen confortans. Quid est enim Iesus, nisi Salvator? Ergò Iesu propter nomen Sanctum tuum esto mihi Iesus, & salva me: nè permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti. O bone Iesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Iesu recognosce quod tuum est, & absterge quod alienum est. O benignissime Iesu miserere mei, dum tempus est miserendi: nè damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in sanguine tuo, dum descendero in æternam corruptionem? non mortui laudabunt

dabunt te Domine Iesu, neq; omnes qui descendunt in infernum! O amantissime Iesu, ô desideratissime Iesu, ô mitissime Iesu, ô Iesu, Iesu, Iesu, admitte me intrare in numerum electorum tuorum: ô Iesu Salus in te credentium: ô Iesu solatium ad te confugientium: ô Iesu dulcis remissio omnium peccatorum. O Iesu Fili Mariæ Virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, & humilitatem - ut possim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire & in te gloriari, & omnes qui invocant Nomen tuum quod est Iesus. Amen.

Ave Domine Iesu Christe, via dulcis, Veritas vera, gaudium nostrum, charitas summa, fons amoris, pacis dulcedo, vita perennis.

Amantissime Domine IESU Christe, obsecro te per amorem illum perfectissimum, quô salutem nostram zelando, ubique tam fideliter, quam fer-

ven-

venter eam quæris, da mihi rectam, puram, simplicem, ac Deiformem in singulis intentionem, ut in quibuscunq; agendis, & vivens, & moriens non aliud quæram aut intendam, quàm purè gloriam & beneplacitum tuum. Hæc da mihi fidelissime amator, ut te ex toto corde meo desiderem, diligam, & quæram in tempore, in æternitate: extinctô per gratiam tuam penitùs omni amore proprio.

Obsequium Filiale, erga Beatissimam Virginem MARIAM.

OFFICIVM

Immaculatæ Conceptionis Beatæ MARIÆ VIRGINIS.

AD MATUTINUM.

Eia mea labia nunc annuntiate.

Laudes & præconia Virginis beatæ.

Domina in adiutorium meum intende.

Me de

Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Am̄.

HYMNUS.

SAlve mundi Domina,
Cœlorum Regina:
Salve Virgo Virginum,
Stella Matutina:
Salve plena gratiæ,
Clara lux divina:
Mundi in auxilium
Domina festina.
Ab æterno Dominus
Te præordinavit
Matrem Unigeniti
Verbi, quô creavit.
Terram, pontum, æthera:
Te pulchram ornavit,
Sibi Sponsam, in qua
Adam non peccavit.

℣. Elegit eam Deus & præelegit eam.
℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.
℣. Domina exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

SAncta MARIA, Regina cœlorum, Mater Domini nostri IESU Christi, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis, & nullum despicis: respice me Domina clementer oculo pietatis, & impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: ut qui nunc tuam Sanctam Conceptionem devotô affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipsô quem Virgo peperisti donante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat, in Trinitate perfecta, Deus in sæcula sæculorum. A.

℣. Domina exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino, ℟. Deo gratias.

Fide-

fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

AD PRIMAM.

Domina in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende, Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve Virgo sapiens,
Domus Deo dicata,
Columnâ septemplici
Mensâquè exornata:
Ab omni contagio
Mundi præservata,
Ante sancta in utero
Parentis, quàm nata.
Tu Mater viventium,
Et porta es Sanctorum,
Nova Stella Iacob,
Domina Angelorum.
Zabulo terribilis,
Acies castrorum,
Portus & refugium
Sis Christianorum.

℣. *Ipse creavit eam in Spiritu Sancto.*
℟. *Et effudit illam super omnia opera sua.*
℣. *Domina exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
Oratio. Sancta Maria, &c. *ut supra.*

AD TERTIAM.

Domina in adiutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende. Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve Arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,
Rubus visionis;
Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis,
Porta clausa Numinis,
Favusque Samsonis.
Decebat cam nobilem
Natum præcavere
Ab originali
Labe matris Evæ,
Almam, quam elegerat

Geni-

Genitricem verè,
Nulli prorſus ſinens
Culpæ ſubiacere.

℣. *Ego in altiſsimis habito.*

℟. *Et Thronus meus in columna nubis.*

℣. *Domina exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oratio. Sancta Maria. &c. *ut ſupra.*

AD SEXTAM.

Domina in adiutorium meum intende,
Me de manu hoſtium potenter defende, Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve Virgo puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis:
Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiæ,
Cedrus caſtitatis.
Terra es benedicta,
Et Sacerdotalis

Sancta, & immunis
Culpæ originalis:
Civitas Altissimi
Porta orientalis,
In te est omnis gratia,
Virgo singularis.

℣. *Sicut lilium inter spinas.*
℟. *Sic amica mea inter filias Adæ.*
℣. *Domina exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oratio Sancta Maria, &c. *ut supra.*

AD NONAM.

Domina in adiutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende. Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve Urbs refugij,
Turrisquè munita
David, propugnaculis
Armisquè insignita.
In Conceptione
Charitate ignita,
Draconis potestas
Est à te contrita.

O mulier fortis,
Et invicta Iudith,
Pulchra Abisai Virgo;
Verum fovens David.
Rachel curatorem
Ægypti gestavit,
Salvatorem mundi
Maria portavit.

℣. *Tota pulchra es amica mea.*
℟. *Et macula originalis nunquã fuit in te.*
℣. *Domina exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
Oratio Sancta Maria, &c. *ut supra.*

AD VESPERAS.

Domina in adiutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende. Gloria Patri, &c.

HYMNUS.

SAlve horologium,
Quo retrò gradiatur
Sol in decem lineis;
Verbum incarnatur,
Homo ut ab inferis

Ad ſumma attollatur.
Immenſus ab Angelis
Paulò minoratur.
Solis huius radijs
Maria coruſcat:
Conſurgens aurora
In conceptu micat.
Lilium inter ſpinas,
Quæ ſerpentis conterat
Caput, pulchra ut luna
Errantes colluſtrat.

℣. *Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens.*
℟. *Et quaſi nebula texi omnem terram.*
℣. *Domina exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
Oratio. Sancta Maria, &c. *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM,

Convertat nos Dña tuis precibus, placatus Ieſus Chriſtus Filius tuus.
Et avertat iram ſuam à nobis.
Domina in adiutorium meum intende.
Me de manu hoſtium potenter defende. Gloria Patri, &c. HY-

HYMNUS.

SAlve Virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiæ,
Stellis coronata:
Super omnes Angelos
Pura, immaculata.
Atque ad Regis dexteram
Stans veste deauratâ.
Per te Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum,
Patens cœli ianua,
Salus infirmorum,
Videamus Regem
In aula Sanctorum. Amen.

℣. *Oleum effusum Maria nomen tuum.*
℟. *Servi tui dilexerunt te nimis.*
℣. *Domina exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
Oratio. Sancta Maria, &c. *ut suprà.*

COMMENDATIO.

SUpplices offerimus
Tibi Virgo pia,
Has Horas canonicas:
Fac nos ut in via
Ducas cursu prospero.
Et in agonia
Tu nobis assiste,
O dulcis Maria. Am. Deo gratias.

Sequens Antyphona à Paulo V. Pontif: Max: approbata est, qui eandem una cum Oratione de immaculata Virginis Conceptione recitantibus centum dierum Indulgentias concessit.

Antyph. Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

℣. *In conceptione tua Virgo immacuata fuisti.*

℟. *Ora pro nobis Patrem cuius Filium (peperisti.*

OREMUS.

DEUS qui per immaculatam Virginis Conceptionẽ, dignum Filio suo

tuo habitaculum præparasti: quæsumus, ut sicut ex morte eiusdem Filij tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO ad B. V. M.

Pro conservanda castitate.

O Sanctissima Virgo, & Mater Maria, mundissimum pietatis speculum, & purissimum Virginitatis exemplar; Ego N. ex intimo te imitandi desiderio, & amore castitatis accensus, firmiter propono, me quoad vixero nullis unquam inhonestis cogitationibus, aut desiderijs scienter inhæsurum aut consensurum; neque unquam aliquid cogitatione, verbo, opere, vel quovis alio modo facturum, aut per-

missurum, quod castitati adversum intelligam; & hæc omnia ad maiorem Dei gloriam, animæq; meæ salutem.

Te igitur ô castissima Virgo, Ego indignissimus filius per tuam Virginitatem rogo, ut mihi impetres â dilectissimo Filio tuo gratiam & auxilium, ut quod verbis offero, opere præstem, & sincerus semper castitatis, & constans pietatis amator existam, donec tandem ad cœlestes Filij tui nuptias admittar, suavissimis Sanctorum epulis reficiendus in cœlis. Amen.

Antyph. Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. *Sicut lilium inter spinas.*

℟. *Sic amica mea inter filias Adæ.*

OREMUS.

O Regina Virginum Maria, amantissima Mater mea, ecce IESUS benignissimus Filius tuus Virgo Ioannem

nem virginem, & me indigniſſimum tibi in filium adoptavit; obſecro te igitur per amorem, Sangvinem, & mortem eius, ſuſcipe me in filium, quia Filium tuum ex toto corde diligo, teq; eligo in Matrem; imò ſi tibi placet cum Bernardino, & Edmundo tuo, in ſponſam animæ meæ. Malo ſiquidem mori; quàm cogitatione, verbo aut opere alicuius creaturæ amore inquinari: ſequi te cupio: & Ieſum agnum quocunq; ierit in æternum; & cum Angelo Cuſtode puritatem ſervare angelicam, iuxta ſtatum meum in æternum. Accipe, & ſerva, ô dulciſſima Mater! cor, & animam, & corpus meum tibi toto corde dicata in ſempiternum. Amen.

LITANIÆ.

LAURETANÆ B. M. V.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix.
Sancta Virgo Virginum.
Mater Christi,
Mater divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,

Ora pro nobis.

Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,

Ora pro nobis.

Specu-

Speculum justitiæ,
Sedes sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Ianua cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum.
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,

Ora pro nobis. Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Regina Sanctorum omnium, Ora.
Agnus Dei, &c. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, &c. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, &c. Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison,
Kyrie eleison. *Ave Maria &c.*

SUb tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes nè despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis, libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.*
℟. *Ut digni efficiamur promissionibꝰ Christi.*

ORATIO.

GRatiam tuam quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filij tui Incarnationem cognovimus, per Passionem

nem eius, & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nos cum prole pia, benedicat Virgo MARIA. Amen.

Oratio S. Chrysostomi ad B. V. M.

AD sanctitatis tuæ pedes dulcissima Virgo MARIA, corpore prostratus & corde supplex oro, ut aliquid à te rogare me doceas, quod te audire & Filium tuum exaudire delectet. Indignus sum gratiâ & cunctis miserationibus minor. Peccatis meis obstantibus à te sanctissima audiri, & à Filio tuo benignissimo exaudiri non mereor: Noli tamen ad te clamantem, & vitam emendare cupientem, pia repellere. Memorare pijssima non esse auditum à sæculo, ad tua quemquam currentem præsidia, aut tua petentem suffragia à te derelictum. Tali animatus confidentiâ ad te Virgo Maria confugio, ad te curro ad te venio, co-

ram te gemens & tremens assisto. Noli Virgo Immaculata à me peccatore faciem tuam abſcondere, ſed ad me clementer attende. Noli Mater omnium, ab omni benignitate tua me excludere: ſed benignè fac mecum propter Nomen ſanctum tuum. Noli Mater gratiæ Filij tui gratiam mihi denegare: ſed gratifica me illi gratiæ, quam gratiâ plena genuiſti Noli Stella maris diu me aberrare à via lucis permittere, ſed ſplendoris tui directione erue me à peccatorum caligine. Noli porta Cæli ob ſcelera mea iugiter obſerari, ſed reporta me, ad portam gratiæ, à qua ingratus exivi, per quam tu mundo vitam & ſalutem reportaſti. Noli Regina gratiæ ob tuæ celſitudinis gloriam mei peccatoris obliviſci, ſed memor eſto fragilitatis meæ, & adiuva me propter magnitudinem gloriæ tuæ. Imó noli Regina miſericordiæ in me miſero peccatore antiquæ miſericordiæ tuæ Nomen amittere,

tere, sed de multitudine miserationum tuarum miserere mei. Noli quæso, clementissimas aures tuæ pietatis, ob ingratitudinem meam, ad clamorem meum claudere. Noli misericordes oculos tuos, à me spes miserorum, avertere. Noli solitam pietatis tuæ manum retrahere, sed tolle quod metuo, largire quô careo, indulge quod offendo. Salva me Salvatrix, redime me Redemptrix. Peccata mea me gravant, mundus involvit, caro premit, hostis insidiatur ut rapiat; hora mortis, & sententia justi Iudicis terrent me. Peccata habeo, merita nescio; sed tu Adiutrix fortis in tribulationibus, adesto meis doloribus, tantis consule periculis: aliud enim refugium nescio post Filium tuum. O! benignissima, peccata mea dele, munda me, ablue me, cor liquefacito spiritum humilia, carnem castiga, in bono propositum meum confirma, hostem remove, redde mihi innocentiam vitæ, reduc me

in si-

in ſinum gratiæ, rege me, ne ruam in mortem animæ, vel opprobrium famæ, & ſi cecidero, erige me, mores, actus, & vitam meam corrige; in omni adverſitate mea adiuva me; in cunctis agendis dirige me. Deo placita doce me; obtine mihi ſpatium, & locum pœnitentiæ; in hora exitûs mei, ô clemens, mihi digneris adeſſe, tremendam Iudicis ſententiam in manſvetudinem converte, perduc me ad beatæ viſionis prœmium, & regnum gloriæ, almæ Trinitatis faciem ſine felicitatis fine perfruendam, mihi placabilem oſtende, ô pia, ô clemens, ô dulcis Virgo MARIA.

Oratio pulcherrima.

S. Anſelmi ad Chriſtum, & B. Virginem, pro felici morte, ac remiſsione peccatorum.

O Tu benedicta ſuper mulieres, quæ Angelos vincis puritate, Sanctos ſupe-

ſuperas pietate, anhelat moribundus ſpiritus meus ad tantæ dignitatis reſpectum, ſed erubeſcit ad tanti nitoris conſpectum: rogare enim te Domina deſidero, ut miſerationis tuæ conſpectu cures plagas & ulcera peccatorum meorum; ſed confundor coram te ob fœtorem & ſordes eorum. Horreo Domina apparere tibi in immunditijs, & horroribus meis, nè tu horreas me pro eis, & non poſſum (væ mihi) vivere ſinè eis. O perturbata, ô confuſa, ô præcavenda conditio! En quippe vos, peccata mea, quomodo diſcerpendo diſtrahitis, diſtrahendo corroditis, corrodendo torquetis præcordia mea! Eadem enim peccata mea, ô Domina, cognoſci à te cupiunt propter curationem, non ſanantur, ſine confeſſione, non producuntur, ſine confuſione: ſi celantur, ſunt inſanabilia; ſi videntur, ſunt deteſtabilia. Urunt me dolore, terrent me timore, mole me obruunt, pondere me premunt, pudore

me con-

me confundunt. O tu illa pia, potens & potenter pia MARIA, de qua fons ortus misericordiæ, nè contineas precor, tam veram misericordiam, ubi tam veram agnoscis miseriam; si enim ego confundor in obscænitate iniquitatis meæ ad fulgorem tuæ sanctitatis, tu ne Domina erubesces erga miserum, affectum insitæ pietatis? si ego confiteor nequitiam meam, tu ne abnegabis benignitatem tuam? si major est miseria mea, quàm mihi expediat, erit ne minor misericordia tua quàm te deceat? Quantò enim Domina magis delicta mea in conspectu Dei & tuo sordent, tantò magis curatione & tuâ subventione egent Satis ô Domina, satis novimus, quis Filius hominis, vel cuius hominis Filius, venit salvum facere quod perierat: nunquid ergo tu Domina mea, Mater spei meæ, nunquid obliviscceris tu adeò mei, quod mundo tam misericorditer est intimatum, tam feliciter divulgatum,

tam

tàm amanter amplexatum? ille bonus Filius hominis venit vocare peccatores ad pœnitentiam, & Mater contemnet precantem in pœnitentia? ille, inquam, bonus Deus, mitis homo misericors, Filius Dei, Filius hominis venit quærere peccatorem errantem, & tu bona Mater eius, potens Mater Dei repelles miserum orantem? Ecce enim ô Virgo homo, de qua natus eſt homo, ut ſalvaretur peccator homo. Ecce coram bono Filio tuo & coram te bona Mater eius, pœnitet & confitetur, gemit & orat peccator homo. Obſecro vos bone Domine, & bona Domina, obſecro vos pie Fili, & piæ Mater, obſecro vos per hanc ipſam veritatem, per hanc ſingularem ſpem peccatorum: ſicut verè tu es Filius eius, & tu Mater eius, ut ſalvetur peccator, ſic abſolvatur ut curetur hic peccator, probet in ſe, probet & hic veſter peccator quia veri eſtis. Sentiat peccator in ſe quia propter ſalutem

tem peccatorum tu Filius, & tu Mater peccatorum: videtur certè amborum peccator, cum enim peccavi in Filium, irritavi Matrem, nec offendi Matrem sinè injuria Filij; quid ergo facies peccator? quis enim me reconciliabit Filio invitâ Matre? quis mihi placabit Matrem iratô Filiô? sed etsi ambo pariter offensi estis, nonne & ambo clementes estis? fugiat ergo reus justi Dei ad piam Matrẽ misericordis Dei; refugiat reus offensæ Matris ad piũ Filiũ benignæ Matris, inserat se reus utriusque inter utrumque, inijciat se inter pium Filiũ & Matrem piam. Pie Dñe, parce servo Matris tuæ, pia Domina parce servo Filij tui. Bone Fili placa Matrẽ tuam servo tuo, bona Mater, reconcilia Filium tuũ servo tuo: qui me injicio inter duas tam immensas pietates, non incidam in tam potentes severitates. Bone Fili, bona Mater, non mihi sit frustrà quòd confiteor de vobis hanc veritatem, nec erubescam quòd spero in vo-

in vobis hanc pietatem. Amo enim veritatem, quàm confiteor de vobis, deprecor pietatem, quam ſpero in vobis. Dic mundi Iudex, cui preces fundam! dic mundi reconciliatrix, quem tu conciliabis, ſi tu Domine damnas, & tu Domina averſeris homunculũ bona veſtra cum amore, mala ſua cum timore confitentem? Salvator ſingularis dic quem ſalvabis? Salutis Mater dic pro quo orabis? ſi te Dominá præcipiente, & de te miſericordiâ conſentiente, tormenta vexant peccatòrem ſe execrantem, vos obſecrantem? ſi infernus abſorbet reum ſe accuſantem, vos deprecantem? ſi tartara devorant pauperem in ſe deſperantem? Deus, qui factus eſt Filius fæminæ propter miſericordiam, Fæmina quæ facta eſt Mater Dei propter miſericordiam, aut miſeremini miſero, tu parcẽdo, tu intervenïendo, aut oſtendite ad quos tutiùs fugiam miſericordes, aut monſtrate, in quibus certiùs confidã potentioribus. Si enim eſt,

imò

imó quia est, tam modica fides mea, tam tepida charitas mea, tam fatua oratio mea, tam imperfecta satisfactio mea, ut nec merear delictorum veniam, nec salutis gratiam, hoc est ipsum quod supplico, ut in quo merita mihi videtis non sufficere, in eo misericordiæ vestræ dignentur non deficere. Precor itaque, precor exaudite me, sed propter vos, non propter me per pietatem, quâ exauditis, per potestatem, quâ abundatis, ut evadam meritos dolores damnatorum, & intrem in gaudia Beatorum, te Deum laudaturus, qui es benedictus & superlaudabilis in sæcula sæculorum. Amen.

BREVIS INSTRUCTIO.

Pro infirmis & moribundis, authoritate Seren: Archi-Episc. Colonien: S. R. I. Elect. Maximiliani Henrici, A. Dni 1667. Coloniæ edita. Circa Sacramen: Pœnitentiæ.

DAnda est absolutio illi infirmo, qui (cum loqui non possit) eam nutu

nutu aut ſigno petit. Ita Canones & Rituale Romanum editum juſſu Pauli V. 1615. cuius verba ſunt: *Si confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit infirmus, abſolvendus eſt.* Si ergò præſente Sacerdote neque confiteri, neque abſolutionem nutu petere, aut pœnitentis ſigna edere infirmus poſſit, idque Sacerdote abſente fecerit juxta unius, aut alterius, fide dignam relationem; abſolvi poterit à præſente Sacerdote. Cenſetur enim talis æger quaſi confeſſus abſenti Sacerdoti per nuntium, quod ſufficit, dummodo abſolutio detur in præſentia pœnitentis. *Ita Valentia t. 4 diſp: 7. 4. n. p. 1. Filiut. c. 1. tr. 7. c. 5. n. 122. Henriq. l. 5. c. 2. n. 7.* Plurimos alios pro hac ſententia citat Diana; ipſum quoque D. Thomam. Favent eidem Concilia Arauſicanum VII. c. 12. & Carthaginenſe IV. c. 70. quibus decernitur ad abſolvendum Sacramentaliter infirmum ſufficere Confeſſario, ſi ab alijs detur teſti-

monium de voluntate ipsius. Cavendum proinde ne hoc solatio ac præsidio ægrotus privetur. Addit Bonacina to 1. disp. 2. q. 3. p. 33. n. 4. Posse absolvi pœnitentem, qui per nuntium accersivit Confessarium, hoc verò adveniente, loquelâ & sensu ita destitutus est, ut nullum signum doloris exhibere possit, nullusq; tunc adsit, qui petitionis faciendæ cofessionis fidem faciat. Clemens VIII. Pont. Max. fertur: illi etiam, quem vidit labentem ex fabrica S. Petri sub conditione absolutionem dedisse hoc modo: *Si es capax absolvo te à peccatis tuis, &c.*

2. Potest & debet Confessarius infirmum aut graviter vulneratum quem credit statim moriturum, auditô unô tantùm peccatô absolvere. Nec requiritur integra Confessio juxta sententiam Bonacinæ, quando infirmus nimis fatigatur explicandis peccatis (caveat tamen pœnitens, nè sibi nimium blandiens plura peccata reticeat quàm

justa

justa causa aut imminens periculum postulat, quantùm enim moraliter fieri potest, integrè facienda est Confessio) qui autem convalescit, tenetur ad integram Confessionem, si illam in morbo non fecerit. Similiter tempore pestis, siquidem Confessario ex mora diuturniore apud ægrum evidens immineret periculum infectionis dictô unô alterove peccatô, dari potest absolutio, juxta AA. citat.

3. In naufragio, prælio aut simili casu, in quo nè unum quidem in particulari posset à singulis declarari peccatum datô aliquô signô pœnitudinis, quale esset genuflexio vel pectoris percussio, absolvi simul omnes præsentes possent hac formulâ: *Ego vos absolvo à peccatis vestris.* Ita Hurtado de Sacr: Pœnit: disp. 8. diffic. 2, & disp. 9. diffic. 10. Nemo tamen hac fiduciâ fretus libere peccare præsumat. *Deus non irridetur.* Gal. 6.

4. Quilibet Sacerdos malus & bo-

nus etiam suspensus Schismaticus Apostata, excommunicatus in articulo mortis, ab omnibus peccatis & censuris quemvis verè pœnitentem validè potest absolvere. Etiam potest licitè, si aut prius confiteatur, aut conteratur. Ita Trident. Sess. 14. c. 7. *Nulla sit reservatio in articulo mortis.*

NB. Pro usu hujusmodi absolutionū non est expectandus ultimus articulus mortis; sed sufficit infirmum verè versari in periculo mortis. Ita Præpos. in 3. p. q. 7. de Sacram: Pœnit. d. 6. n. 43. Afficiendi supplicio (lata seriò sententia à judice) vel maximè gaudent his privilegijs, sunt enim in præsenti certæ mortis articulo.

Porrò advertendum est solos Sacerdotes, & non alios Laicos hujus Sacramenti esse ministros. Proinde irrita prorsus est Confessio, quæ interdum à moribundis, deficiente Sacerdote, fit Laico. Eliciatur in ejusmodi casu, quàm perfectissimè fieri potest, contritio,

tritio, (juxta dicta alibi) Et in hac, non in tali confessione Laico facta moriens omnem consequendæ salutis fiduciam ponat.

Resolutiones circa S. Eucharistiam.

I. DAtur S. Eucharistia moribundis per modum Viatici tunc, quando probabile est illam esse ultimã: Et hæc sola est differentia Communionis ordinariæ, & illius quæ nomen habet viatici, quod per illam ordinariè petatur gratia bene vivendi, per hanc bene moriendi. Est ergo Viaticum hoc, annona & commeatus animæ pro imminente itinere ad æternitatem.

2. Forma dandi Viaticum hæc est: *Accipe Frater (vel Soror) Viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in Vitam æternam. Amen.*

3. Si quis ante prandium communicasset, aut Missam legisset, & circa meridiem, aut sub vesperum incideret in morbum, ex quo eodem die putare-

tur disceſſurus, poſſet eodem quoque die non jeiunus iterum S. Euchariſtiam per modum Viatici ſumere. Hurt. de Euchar. diſp. 10. diffic. 2. Turrianus in ſumma p, 2. c. 56. d. 2. &c.

4. Et cùm infirmus indigeat ad occurrentes tentationes vincendas tanti Sacramenti ſubſidio, poteſt vel poſt ſex circiter dierum ſpacium, ut Filiuc. vel ſi ad frequentem Communionem aſſveverat, ita ut propter devotionem ac deſiderium ægrè abſtineat, altera ſtatim die communicare etiam non jeiunus ut Laym. in Theol. moral. l. 5. tr. 4. c. 6. n. 20. Pia enim Mater Eccleſia non vult ſuam ſobolem privare ſubſidio, quo ſemper indiget, quodque ſemper prodeſſe poteſt.

5. Sacerdos deliranti, qui propter febrim in amentiam incidit, poteſt præbere viaticum, maximè ſi ante delirium illud deſideravit, aut contritionis ſigna ediderit, nullumque irreverentiæ periculum ſit timendum.

6.

6. Etiam Reo, qui ſtatim ducendus eſt ad ſupplicium, ſi hoc differri non poteſt, & is cæteroquin diſpoſitus eſt, poteſt dari Communio etiam non jejuno. Violenta enim mors non tollit obligationem, quam habent omnes ex præcepto divino communicandi in articulo mortis. Vide Sancium in ſelect. diſp. 40. Zambr. de Euchar. c. 5. n. 8. qui citat Navarrum Suar Henriq. &c.

7. A quolibet Sacerdote in articulo mortis in defectu Parochi ordinarij poteſt dari Euchariſtia, ſicuti abſolutio, ut ſupra dictum eſt. Poteſt præterea in caſu neceſſitatis à Sacerdote ſacrificante (ſi videlicet minor hoſtia non ſuppetat) pars hoſtiæ dari moribundo, quod integritati ſacrificij non obſtat, ad quam ſolum requiritur, ut conſumptio fiat utriuſque ſpeciei; ſine cauſa autem gravi, & rationabili fine, malè hoc fieret.

8. Non ſolùm Sacerdos, verum etiam Laicus in abſentia idonei miniſtri

posset se ipsum communicare in articulo mortis, exemplo Mariæ Reginæ Scotiæ: ita Reginaldus to. 1. l. 29. c 3. q. 5. n. 39. Mercerus de Sacr. q. 83. c. 2. 11. 3. Granado in 3. p. contr. 6. tr. 12. disp. 2. n. 4. &c.

9. Illi qui difficulter posset transmittere S. Hostiam, posset huius particula dari intincta vino. Ita Suar. in 3. p. disp. 67. sect. 6. paragr. 2. Præpos. in 3. p. q. 80. d. 2. &c.

Resolutiones circa Extremam Unctionem.

I. VNgi præcipuè debent quinque corporis partes, *Oculi*, *Aures*, *Nares*, *Os. & Manus*, Pedum & Renum unctio pro loci consuetudine adhibenda est, vel omittenda. In fæminis renum unctio omitti debet.

2. In morbo contagioso, vel dum moribundus tanto tempore non putatur supervicturus, ut omnium sensuum unctio absolvatur, sufficit inungi unam aliquam partem, v. g. Manum vel ocu-

lum,

lum, hâc adhibitâ formula generali *Per istam sanctam Unctionem, & suam pÿissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum; Gustum & tactum.* Laym: in Theol: Mor: l. 5. tr. 8. c. 3. n. 3. Kon. d. 19. dub. 3. Sylvius. Peste laborantes etiam licet virgula aliquâ sive argenteà sive ligneâ inungere. Præpos. in 3. p. q. un. du. 6. Barbosa de offic. Parochi c. 22. n. 16. &c.

3. Amentibus quoque ministranda est Extrema Unctio, etsi valentes eam non expetierint, qui enim cùm valerent, debitè Sacramentalia perceperũt, censentur habere virtualem & interpretativam intentionem etiam hoc Sacramentum percipiendi. Marac. to. 3. de Extr: Unct.

4. Et pueris post septennium (nisi constet eos carere usu rationis) danda est Extrema Unctio licet nunquam communicarint. Laym. Theol. Mor. l. 6. tr. 7. c. 4. n. 2.

5. Neque cum extrema unctione exspectandum est, donec rationis & omnium sensuum usu destitutus sit æger, animamque jam jam exhalaturus: usus enim rationis, & devotio infirmi plurimùm conferunt ad effectum huius Sacramenti. Et vires hoc Sacramentum confert contra tentationes, quæ privationem usus rationis solent præcedere; nam ratione destitutus non est capax tentationum. Bellarmini sententia est, lib. 2. de arte bene moriendi c. 8. *Causam, cur multi ægri non convalescant, esse, quòd tam tardè petant Extremam Unctionem,* Hæc ergò conferenda est, quando periculosè quis incipit morbo laborare.

6. Si quis in morbo diuturno v. g. Hydropisi, vel Phtysi semel accepisset Extremam Unctionem, & desijsset periculum mortis: posset recrudescente morbo, iterum eandem accipere, Trident sess. 14. c. 3.

7. Non sunt intermittendæ oratio-

nes

nes pro Extrema Unctione præscriptæ: differri tamen in proximo mortis articulo possunt: usque dum essentialia Sacramenti peracta sint, continuari deinde debent, &c.

Breve Compendium Controversiarum,

Pro eruditione discursuum, contra recentes Lutheri, & Calvini sectarios, jussu eiusdem Serenissimi Principis Coloniensis editum.

CONTROVERSIA I.

De vera Dei Ecclesia, & Fide.

QUÆSTIO I. Quid est vera Ecclesia.

℟. *Est omnium Christi fidem, atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno & summo post Christum visibili capite & pastore in terris gubernatur:* quem summum pastorem Christus constituit. Io: 21. *Pasce agnos*

meos pasce agnos meos, pasce oves meas: sicut promiserat Matth 6. *Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.*

QVÆSTIO II. Quæ sunt notæ veræ Ecclesiæ?

℞. Vera Ecclesia 1. debet esse visibilis. Matt. 18. iubet Christus ut si peccaverit frater, post correctionem privatim, & coram testibus factam, *dicatur Ecclesiæ. quod si Ecclesiam non audierit*, inquit, *sit tibi sicut Ethnicus: & Publicanus.* Quomodo veró dicetur Ecclesiæ: quomodo audietur, nisi sit visibilis? Porrò in Scriptura comparatur Ecclesia, rebus visibilibus, ut *Monti magno* qui implevit universam terram, Dan: 2. 35. *Regno* à mari usque ad mare diffuso Ps. 7. 8. *Soli & Lunæ plenæ* ps. 88. 38. &c. Præterea S. Chrys. hō. 4. in c. 6. Is. *Facilius*, inquit, *est solem extingui, quam Ecclesiam obscurari.* Similiter loquitur S. Aug in Ep. 2. Ioā.

2. Vera Ecclesia non potest errare

in ſuis dogmatibus. Dicitur enim 1. Tim. 3. 15. *Columna & firmamentum veritatis.* Matt. 28. 20. Chriſtus ait: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, &c.* Lucæ 22. *Ego oravi pro te* (Petre) *ut non deficiat fides tua.*

3. Eccleſiæ notæ ſunt. 1. *Unitas, & Uniformitas* in doctrina fidei 2. *Sanctitas* vitæ & morum. 3. *Univerſalitas* ſive ut ſit Catholica. 4. *Apoſtolica*: i. e. ab Apoſtolis derivata. 5. *Converſio gentium.* 6. *Miracula, &c.*

QVÆSTIO III. *Quid eſt Fides.*

℟. *Est donum Dei, ac lumen, quo, illuſtratus homo firmiter aſſentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Eccleſiam credenda propoſuit ſive ſcripta illa ſint, ſive non.*

QVÆSTIO IV. *Quænam de hac vera fide tenenda ſunt?*

℟. *Una eſt Fides*, in qua ſalvari poſſumus. Eph. 4. 5. *Unum*

corpus, & unus spiritus, unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium.

2. *Necessaria* est ad salutem Mar. 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ioan, 3. *Qui non credit, jam judicatus est.* Heb. 11. *Sine fide impossibile est placare Deo,* Nec satis credere in Deum & Iesum Christum, nam hoc etiam dæmones faciunt *Ia.* 2.

3. Non sufficit sola ad salutem, sed præterea requiruntur bona opera *Iac.* 1. 24. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Et mox v. 26. *Fides sine operibus mortua est.*

NB. Quia verò textus hic Sole clarior Luthero non placet tanquam novæ suæ doctrinæ manifeste contrarius, hinc Epist. S. Iacobi vocat stramineam, to. 1. Ioleb. fol. 18. p. 1. Non considerans omnia, quæ in Sacra Script. sunt à Spiritu S. esse. Accedit illud S. Pauli ad Gal. 5. *Nam in Christo Iesu*

neque

neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Et 1. Io. 2. *Hæc est enim charitas Dei, ut mandata eius custodiamus.* Matt. 7. 21. *Non omnis. qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. &c.* Matt. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

OBIECTIO. Rom. 3. 28. dicitur: *Arbitramur enim justificari hominem per filem* (solam) *sine operibus legis.* ℞. 1. Fatetur Lutherus ipse tom. 4. Witemb. f. 476. à se verbum illud (*solam.*) textui insertum esse, quod nunquam fecisset, si absque eo sectam suam tueri potuisset. ℞. 2. Ab Apostolo illic per opera legis intelligi moralia & mere politica opera, quæ viribus naturæ, & ante susceptam fidem fiunt, ut ostendat, neque Iudæos ex nudâ Mosaicæ legis observatione, neque gentiles propter bona opera ante fidem Christi susceptam patrata justificari posse.

4. Non

4. Non omnia sunt Scripta ad fidem hanc pertinentia, sed etiam multa verbo tradita. Unde præter Scripturam admittendæ sunt traditiones 2. Thes, 2. 14. *Itaque fratres state & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram* Io. 21. 25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Tertul. de corona mil. c. 4. *Ubi harum inquit & hujusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consvetudo confirmatrix, & fides observatrix, &c.* Duplices verò sunt in Ecclesia Romana traditiones: aliæ Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ; illæ solæ sunt, quæ parem habent cum scriptura Sacra auctoritatem, licet & posteriores magno in pretio sunt habendæ.

QVÆ-

QVÆSTIO V. *An Scriptura clara sit, an obscura?*

℞. Obscura est in multis locis & difficilis intellectu, ut fatetur S. Petrus 2. Pet. 3. *In quibus* (Epistolis S. Pauli) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. Act. 8. 31.* Cum Philippus ex Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum quæsiisset: *Putasne intelligis quæ legis?* ille respondit: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Nihil in Scriptura vel obscurum vel dubium esse, ipsi Scripturæ, ut ex Ep. Petri patet, & communi sensui & experientiæ repugnat: alioqui enim non ita assiduè desudârent in multis eius locis erudiendis illustrandis, confirmandis, omnes scholæ, & Doctores utriusque Religionis.

Obijciunt hoc loco nobis hæretici, quod prohibeamus legere Scripturam contra Christi præceptum, Io. 5. 39.

Scru-

Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Et Act. 17. 11. dicitur de Berœensibus, quod *quotidie scrutati fuerint Scripturas, si hæc ita se haberent:* ℞. Ecclesia Catholica nullibi prohibet legere Scripturam, imò potius suadet & hortatur. Sed meritò ante aliquot annos Laicis prohibuit, & adhuc prohibet, legere ea biblia, quæ passim tam diverso idiomate, juxta tam diversorum capitum & phantasiarum interpretationes sunt edita, nè quis fortè eorum lectione & perversâ ac subdolâ interpretatione in errorem inducatur. Et certè fas est Ecclesiæ prohibere lectionem Scripturarum ijs, qui eas pro suo arbitratu & phantasia volunt interpretari. Nemini cæteroqui est prohibitum benè versa & approbata Biblia legere.

QVÆSTIO. VI. Quis Iudex sit dubiorum circa Scripturam occurrentium?

℞. Judex horum dubiorum & controvers.

troverſ. nec ipſa Scriptura, nec privatus cuiuſque ſpiritus (ut volunt Adverſarij) eſſe poteſt. Sed ab Eccleſia, vel per Pontificem, vel per legitima Concilia ferenda eſt ſententia, juxta verbum, tum ſcriptum, tum traditum. Dictat id ratio, & praxis ab Apoſtolorum tempore.

QVÆSTIO VII. *An ſit aliquod viſibile caput Eccleſiæ in terris præter Chriſtum.*

℞. AFfirmativè, & primum quidem ut ſup. diximus, fuit S. Petrus, Matth. 16. *Tu es Petrus &c.* & Ioan. 21. *Paſce agnos & oves meas.* Huic ſucceſſerunt in eodem officio legitimè electi Romani Pontifices circiter 241. ad hæc uſque tempora.

Dices. S. Petrus nunquam Romæ fuit, quomodo ergo Romanus eſt Pontif. & quomodo Romani Pont. eius legitimi ſucceſſores? ℞. Primam Epiſto: à S Petro datam & ſcriptam eſſe Romæ, quæ in ea Epiſt. nomine Babilonis

nis insignitur, propterea, quod Christi fides nondum in ea floreret, testatur id S. Hier. de viris illustr. in Marco, qui ulterius l. cit in Petro disertè asserit, S. Petrum 25. annis Romæ resedisse, & Simonem Magum profligasse. Huic consentit S Ambr. l. 3. de Sacram. c. 1. S, August. l. 2. contra lit. Petil. c. 5.

CONTROVERSIA II.

De observatione mandatorum Dei, & bonis operibus.

QVÆSTIO I. An homo ea posit observare?

℟. HOmo *divinæ gratiæ adiutus auxiliis, potest observare mandata Dei.* Matt. 11. *Iugum meum suave est, & onus meum leve* & Io. 5. 5. *Et mandata eius gravia non sunt.* Phil. 1. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Confirmatur exemplo eorum, qui Dei legem perfectè servarunt. Gen. 6. *Noe vir justus & perfectus fuit in generationibus*

nibus suis, cum Deo ambulavit. Idem dicitur de Davide, Iosia, Zacharia, & Elisabeth &c.

QVÆSTIO II. An bona opera sint necessaria ad salutem?

℟. IAm supra controv: 1. q. 4. probavi. præter fidem ad salutem requiri bona opera, & ex operibus justificari hominem, non ex fide tantùm.

Concludes. Opera bona esse meritoria vitæ æternæ, Eccl. 16. 15 *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Rom 2. 6. *Qui* (*Deus*) *reddet unicuique secundum opera eius.* Matth. 16. 27. *Tunc reddet* (illius hominis) *unicuique secundum opera sua* Apoc. 22. 12. *Ecce venio citò & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* 1 Cor. 3. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem* 2. Ti. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, &c.*

Dices. Præmium seu vitam æternam non

non dari nobis ex merito aut dignitate operum nostrorum. sed ex mera gratia & liberalitate Dei, juxta illud Rom. 6. 23. *Gratia autem Dei vita æterna, &c.* ℟. Hoc loco nihil aliud velle Apostolum (ubi ait contra eos, qui nimium fidebant operibus legis & naturæ) quàm quod omne meritum nostrũ, cui redditur à Deo præmium, oriatur & promanet ex gratia gratis & indignis data, tanquam ex semine & radice, quod non obstat, quo minus interveniente divinâ acceptatione, & promissione homo justus, & amicus Dei verè ac dignè per sua opera mereatur vitam æternam. Hinc pulchrè S. Aug. Ep. 105. ad Sixtum post init. *Nullane igitur sunt merita justorum? sunt planè, quia justi sunt, sed ut justi fierent, merita non fuerunt. Sicut dicit Apost.* Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* idem ib. ante med. *Cum Deus coronát merita nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua.* quia in operibus nostris, quæ cum divi-

divina gratia facimus, nihil est nostrũ, quod non sit Dei, nihil vicissim est Dei, quod non sit nostrum, qui illa libere agimus.

CONTROVERSIA III.

De Sacramentis.

QUÆSTIO unica, Quot sunt Sacramenta?

℞. SEptem sc. 1. *Baptismus.* 2. *Confirmatio.* 3. *Eucharistia.* 4. *Pœnitentia.* 5. *Extrema unctio.* 6. *Ordo* 7. *Matrimonium.* Quæ omnia sunt signa visibilia invisibilis gratiæ ad nostram sanctificationem divinitùs instituta, quod nomine Sacramenti novæ legis intelligitur. De Baptismo & Eucharistia omnes conveniunt esse Sacramenta, de reliquis probatur.

I. *De Confirmatione*, ex Act. 8. 15. *Oraverunt* (Petrus & Ioannes) *pro ipsis* qui Samariæ receperant verbum Dei) *ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed bapti-*

baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S. Act. 19. *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S super eos.* 2. Cor. 1. 21: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus; qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

II. De *Pœnitentia* ex Io. 20. 22. *Accipite Spiritum S quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt* Matth. 18 8. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Ubi observa, quod idem ipse, qui dixit. Matt. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, &c.* etiam dixerit: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis, &c.* Cur itaque potestas baptizandi hucusque in Ecclesia permansit, & non permanserit potestas remittendi peccata? Certè Lutherus de cap. Babyl, admittit pœnitentiam

tan-

tanquam tertium Sacramentum Praxis Confessionis confirmatur ex Act: 19. 18. *Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus, &c.*

Dices *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus.* Marc. 2. 7 Luc. 21 ℟. Deus auctoritate propriâ remittit peccata, eamque potestatem Christus homini concessit, uti fatetur Matt, 28. 18 *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Ipse denique eandem potestatem delegavit suis Apostolis, & in ipsis ac per ipsos eorundem legitimis successoribus. Ioan. 20.

III. *De extrema Unctione.* ex Iac. 5. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus & si in peccatis sit, remittentur ei.* Certè Calvinus tr. de modo re-

form, Eccl. fatetur, Extremam unctionem tempore Apostolorum habitam pro Sacramento.

IV. *De Ordine*. ex 1. Tim 4. 14. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij*. Ib. c. 5. 22. *Manus cito nemini imposueris*. Et 2. Tim. 1. 6. *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Act. 6. Describitur, quomodo septem Diaconi electi & ordinati, hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, *& orantes imposuerunt eis manus*. Calvinus lib. 4. inst. 24. ff. 20. aliquo modo fatetur, ordinem esse Sacramentum; id tamen admittere nolunt eiusdem asseclæ, qui à sæculari Magistratu prætensum suum presbyterium, quod exercent, accipiunt contra doctrinam Apostoli, Heb. 5. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*.

V. De

V. De *Matrimonio.* ex Eph. 5. 31. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ubi contra SS. Hier. Aug, & Chrys. interpretationem pro voce *Sacramentum* substituunt Reformati. *Mysterium.*

CONTROVERSIA IV.

De S. Eucharistia.

QUÆSTIO I. *An Christus sit verè in ea.*

℟. PArs affirmativa luculenter probata est alibi, & cõfirmatur hic ex Matt. 20. 26. *Accipite & comedite, hoc est Corpus meum.* Marci 14 12. *Sumite. hoc est Corpus meum.* Luc. 22. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur.* Matt. 26. 28. *Hic est enim Sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Quæ verba ita clara sunt, ut nullus illis tropus aut figura sine violentia &

sine iniuria Christi affingi possit, utpote quæ legem & testamentum contineant, in quibus legislator & testator, quantùm fieri potest, omnem improprium loquendi modum cavere debet, ne det ansam litium. Cùm ergò Christus tam expresè dicat, id, quod tradit Apostolis ad manducandum & bibendum, *esse Corpus suum, quod pro nobis datur*, sc. ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum, &c. *Sanguinem, qui effundetur in remissionem peccatorum*, certum quoque sit, non esse datum panem ad illudendum, &c. nec effusum vinum in remissionem peccatorum. Sequitur certum esse, hoc quod Christus dedit Apost. suis in ultima cœna, non fuisse panem nec vinum, sed verissimè, proprijssimè ac realissimè Corpus & Sanguinem suum. Accedit, quia idem prorsus loquendi modus est, *Hoc est Corpus meum, &c.* Qui est Matt, 3. 7. *Hic est Filius meus dilectus*, quæ verba nemo nisi proprijssimè intelli-

telligit. Nec dixeris cum Nicodemo: *Quomodo possunt hæc fieri?* Io. 3. 9. Aut cum Iudæis: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Io. 6. 53. *Quia apud ipsum non est impossibile omne verbum.* Luc. 1. 37. & rectè S. Aug. Epist. 2. ad Volusianum. *Demus Deum aliquid posse quod nos fateamur investigare non posse; in talibus enim omnis ratio facti, omnipotentia facientis est.* Hinc etiam reijcitur duplex error Lutheranorum, alter eorum, qui dicunt simul cum Corpore & Sanguine Christi manere panem & vinum, quia hoc est impossibile, si vera sunt Christi verba: *Hoc est Corpus meum: est Sanguis meus*, ideo Eccles. Cath. semper credidit in Eucharistia Transsubstantiationem, sive veram & realem conversionem totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, & substantiæ vini, in substantiam Sanguinis eiusdem. Alter error est eorum, qui volunt non esse Corpus Christi, in Eucharistia, nisi

dum ſumitur: quod ſi ita eſſet, falſa fuiſſent Chriſti verba, dum ea protulit tenens in manibus Sacram Euchariſtiam.

Dices. Chriſtus dicitur Matth. 26. Marc. 14. accepiſſe panem, & dediſſe diſcipulis. Et S. Paulus 1. Cor. 10. 16 *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* ℞, Sicut aqua, quam Chriſtus in Cana Galileæ mutavit in vinum, adhuc poſt converſionem dicitur aqua. Et Luc. 7. 22. dicit Chriſtus *Cœci vident, claudi ambulant, &c.* Ita & Corpus Chriſti etiam poſt conſecrationem adhuc dicitur panis. Adde quod Hebræi quicquid comeſtibile eſt, vocare ſoleant panem. Nec inviti nominamus S. Euchariſtiam panem cum addito videl. *Panem cœleſtem, Panem Angelorum, Panem vivum, qui de cælo deſcendit, &c.* Ut ſæpius nominantur Io. 6. ubi etiam diſertè ait Chriſtus v. 56. *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.*

Fru-

Frustra autem conatur Calvinus evincerè contra omnes SS. PP. & DD. capite illo 6. Ioan: non agi de Eucharistia.

Dices 2. Io. 6. 64. dicitur: *Spiritus est, qui viuificat: caro non prodest quicquam: verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* ℞. Christus hæc dixit ad eos, qui in verbis eius scandalizati sunt, dum apprehendebant, quasi carnem eius instar carnis bovinæ devoraturi essent, & nimis carnaliter omnia intelligebant, hos instruit & docet, carnẽ suam non esse cibum corporis, sed animæ; quod nihil impedit, quò minus verè sit præsens. Nomine itaque carnis illo loco non intelligitur Caro Christi, Nam hæc immolata pro nobis profuit toti mundo, sed intelligitur carnalis intelligentia & affectus: sicut in simili Matt. 16. 17. Christus dicit Petro: *Caro & Sanguis non revelavit tibi.* Hinc S. Chrys. hom. 46. in Ioan. *Quid est:* Caro non prodest quic-

quam? *Num de ipsa carne dixit? absit, sed de his, qui carnaliter accipiunt, quæ dicuntur, & de carnali auditu.*

Dices. 3. Marc. 16. dicitur Christus sedere à dextris Dei, ergo non potest esse in sacramento. ℟. Nego consequentiam, quia divinæ virtuti nullo modo repugnat, idem Corpus esse simul in diversis locis; nonne Christus simul erat in cœlis, quando adfuit Saulo à quo visus & auditus est in terris, Act: 9. & Act: 23. 11. *Sequenti autem nocte assistens ei* (Paulo) *Dominus &c.*

Dices. 4. Verbum *Est*, sum, apud Hebræos idem valet, quod *significat*, ut videre est. Io. 10. 7. *Ego sum ostium ovium* Ioan. 15 1. *Ego sum vitis, &c.*

℟. Cum S. Aug. l. 3. de doctr. Christ. c. 9. & 10 & alijs passim SS. PP. in explicandis & intelligendis Scripturis Sac: sequendum esse sensum literalem & proprium, earumque significationem planam & obviam, quotiescunque id non repugnat manifestè alicui veritati

ex certiore revelatione aut traditione divina, vel definitione Ecclesiæ, vel lumine naturali: nihil autem huiusmodi sequitur; si in verbis Christi: *Hoc est Corpus meum*, li, *Est*, sumatur propriè planè & obviè, ergo sic sumendum est; repugnat autem in alijs adductis locis, (li *Est*) sumere propriè, planè, & obviè.

Dices. 5. Christus Luc. 22. 19. dixit *Hoc facite in meam commemorationem.* Uti etiam S. Paulus testatur 1. Cor. 11. 14. Ergo non est præsens Christi Corpus. ℞. Nego conseq: quia Christus hoc loco non præcipit, ut solum Corporis eius meminerimus, sed ut sumendo simili modo, ut in Cœna sumpserunt Apostoli, Christi verum & realiter præsens Corpus & Sanguinem, recolamus simul memoriam Passionis & mortis eius, ut distinctiùs indicat Apost. loc. cit. v. 26. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc* (videl. *vivum qui de cœlo descendit*, Io. 6.) *& calicem bibetis,*

betis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. In hunc finem institutæ sunt omnes illæ Ceremoniæ, quibus in Sacrifio Missæ utitur Ecclesia, in hunc item finem serviunt collectæ illæ preces à fidelibus devotis adhibendæ ante & post communionem.

Dices. 6 Nonnulli SS Patres fatentur in hoc Sacramento esse signum & figuram Corporis Christi. ℞. *Esse signum* alicuius rei, non excludit rem ipsam aut præsentiam eius, possunt enim esse simul res & signum eius. Sic Matt. 3. 16. Columba visa super Christum. signum fuit Spiritus S. qui tamen ipse revera ibidem fuit præsens. Et passim in Officinis mercatorum expositæ in valuis merces signa sunt mercium eiusmodi venalium, quæ simul tamen re ipsa ibidem in valvis sunt.

Dices: 7 Repugnat cultui & reverentiæ, quam Christo debemus, ut Corpus eius dentibus conteratur, aut à muribus corrodatur, &c. ℞. Hic

craſſus & carnalis error eſt Capharnaitarum, quaſi Corpus glorificatum æquè ſit paſſibile & ijſdem affectionibus obnoxium, quibus Corpus noſtrum mortale Sicut enim clauſis januis ingreſſum eſt Chriſti Corpus citra ullam læſionem, ita in hoc Sacramento ſemper manet illæſum. Sola peccata ſunt, quibus cultus hic debitus imminuitur.

Dices. 8. S. Aug ait tract. 26. in Io. *Qui credit in eum, manducat*. Ergò ſola fide & non realiter eſt in Euchariſtia præſens Corpus Chriſti. ℞. Qui locum iſtum S. Doctoris obijcit, aut tractatum totum non legit, aut non intelligit; clarum enim eſt, velle eum ſolum indicare, *nos tunc cum fructu manducare, quando cum viva fide manducamus*, ſine hac, manducationem quaſi nullam cenſeri. Declarat hanc ſuam mentem eodem loco per exempl. Hemorrhoiſſæ; quæ tetigit fimbriam Chriſti: interrogavit tunc Chriſtus,

quis me tetigit, indicans, quasi ab illa sola fuisset tactus, cum tamen à turba comprimeretur. Sed illa muliercula, cum fide viva illum tetigit, quod quia reliqui non fecerunt, habiti sunt tanquam si non tetigissent. Ita & nos censemur non manducare, dum sine fide manducamus.

QVÆSTIO II. An liceat sub una specie communicare?

℟. Licet, *Prob.* 1. Quia sub una specie æquè totus Christus accipitur, atque sub utraque; nam licet vi verborum solùm sit præsens Christi Corpus sub speciebus Panis, & Sanguis sub speciebus vini; per concomitantiam tamen propter unionem hypostaticam & Corpus, & Sanguis, & totus Christus sub utraque specie continetur. 2. Quia quod de hoc Sacramẽto dicitur: sub utraque specie, dicitur de eodem sub una Io. 6. 33. *Hic est enim panis, qui de cælo descendit, & dat vi-*

tam mundo. Et v. 40. *Hic est panis, de cælo descendens, ut si quis ex ipso manduverit, non moriatur,* v. 52. *Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum.* 3. Christus ipse hoc Sacramentum dedit sub sola specie panis euntibus in Emaus Luc. 24. Ut volunt SS. Hie. Aug. Chrys. & alij. 4 Primi Christiani sub una specie communicarunt, ut legitur Act. 2. *Erant autem perseverantes in communicatione fractionis Panis.* Deinde constat ex Historia Eccl. quod in primitiva Ecclesia Eucharistiam sub una specie secum tulerint domum, è collo gestarint, linteolo involutam custodierint, ut in necessitate seipsos munirent, &c. 5. Denique ex nullo loco Scripturæ probari potest à Christo præceptam esse Communionem sub utraq: specie.

Quod autem Sacerdotes in Sacrificio Missæ utrăq; speciem sumant, idcirco fit, quia Sacrific. est secundum ordinem Melchisedech, *qui panem & vi-*

num obtulit. Gen. 14. 4. Quia nomine totius Ecclesiæ præsertim præsentium Deo offertur. Cæteroqui etiam Sacerdotes, quando ipsi non sacrificant, ut Die Iovis sancto, sub una specie videlicet Panis hoc Sacramentum accipiunt. Nec per hoc, qui sub una solùm specie communicant quoquam spoliantur, quod ijs ex Christi institutione aut præcepto debetur, quia & manducant eius Carnẽ, & bibunt eius Sanguinem, cum Corpus Christi, quod accipiunt, non mortuum, sed vivum sit, hoc autem sine Sanguine esse non potest. Ac proinde jure potuit Ecclesia præcipere, uti præcepit, ad maiorem unitatem & uniformitatẽ, ut Sacra Eucharistia non nisi sub una specie distribueretur, præcipuè ad evitãda varia incommoda & irreverentias, quæ accidere possunt, si sub specie vini distribueretur.

Dices: Aliqui Pontifices agnoverunt præceptum de utraque specie, ut *Leo* & *Gelasius*, &c. ℞. Illi quidem suo tempore

pore præceperunt Communionem ſub utraque ſpecie, non idcirco, quod agnoſcerent eâ de re præceptum Chriſti, ſed ut ſe opponerent Manichæis, qui volebant vinum non eſſe à Deo, ſed à Diabolo, adeoque ſub ſpecie vini, non contineri Chriſti Sanguinem, proinde à ſumendo Calice abſtinebant. Cæterum Eccleſiæ Chriſtus liberum reliquit vel unam, vel utramque ſpeciem præcipere.

De Sacrificio Miſſæ. Quod prædixit Malachias c. 1. 11. *Ab Ortu Solis, uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Et Daniel. c. 11. v. 31. prædicit, quâ ratione Antichriſtus ſublaturus ſit juge Sacrificium. Ergo eiuſmodi ſacrificium in Eccleſia in illum uſque diem eſſe debuit. Sacrificium hoc à Chriſto inſtitutum eſt. Luc. 22. 19. quando dixit. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et hodie dum in Eccleſia aſſervantur Li-

turgiæ

turgiæ Apostolicæ, Romana à D Petro, Hierosolymitana, à D. Iacobo. Alexandrina, à D. Marco. Æthiopica. à Matthæo tradita, & conscripta, &c.

CONTROVERSIA V.

De veneratione & invocatione Sanctorum.

QVÆSTIO *unica. Quid de hac sentiendū?*

℟. VEneratio, & invocatio Sanctorum licet necessaria non sit ad salutem (nec enim hoc docent Catholici) est tamen *utilis, & licita, & pia. Utilis*, quia multa possumus per eorum intercessionem impetrare: *Licita*, quia conformis Scripturæ & praxi antiquæ Ecclesiæ & SS. Patrum: *Pia*, quia Sancti eam ob dignitatem & sanctitatem suam merentur, Ultima pars constat. Prima manifesta est ex Historijs Sanctorum, quibus nolle credere, est fidem omnem è mundo tollere. Et sequitur ex 2. parte, si enim scriptura confirmat invocationem Sanctorum, confir-

confirmat etiam eius utilitatem, frustra enim invocatur, à quo nihil speratur auxilij. Confirmatur ex eo, quia Angeli & Sancti orant pro nobis. Nam Zach. 1. 12. *Respondit Angelus Domini & dixit: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Ierusalem, & urbium Iuda, quibus iratus es, iste iam Septuagesimus annus est.* Tob. 12. 1. 2. dixit Raphael: *quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & dereliquebas prandium tuum, ego obtuli orationem tuam Domino:* Apoc. 5, 8. *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Confirm. 2. quia in Scriptura legimus, à viventibus Sanctorum merita interposita esse ad impetranda quædam à Deo. Sic Dan, 3. 35. In fornace Babylonica orabant tres illi Iuvenes. *Neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel*

San-

Sanctum tuum. Ex his etiam probatur tertia pars, & Confir. primo ex Gen. 48. ubi Iacob scribitur Angelum Domini invocasse, & v. 16. *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Isaac, &c.* Praxis verò Ecclesiæ constat ex Liturgijs primævæ Ecclesiæ. Ex PP. sufficiat Origenes, qui in Lament. *Incipiam*, inquit, *me genibus prosternere & deprecari universos Sanctos, ut mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, succurrant*. Aliorum testimonia passim extant. Confir. 2. ex eo quia licet invocare Sanctos in hac vita, ut constat ex 1. Reg. 7. 8. *Dixeruntque ad Samuelem, ne cesses clamare pro nobis ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos*. Iob 42. 8. ait Deus *Iob autem servus meus orabat pro vobis: faciem eius suscipiam &c*: Cur ergo non liceat invocare beatos.

Dices

Dices 1. Nesciunt SS, quid agatur nobiscum, ut prob. ex Isa. 63. *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos.* Eccl. 9. 3. *Mortui verè nihil noverunt amplius.* ℞. Nego assumptum Nam Luc. 15. dicuntur, *Angeli gaudere super peccatore pœnitentiam agente*; ergo debent scire, Ad prob. 1. ℞. Jlle modus loquendi (*Nescio vos*) usitatus est, si quando irati, nolumus succurrere, ut sæpè meretur (inquit S. Hier.) humana malitia. Cæteroquin Abraham satis scivit, quid dives Epulo fecisset in vita sua, & quid passus erat Lazarus, ut patet ex Luc. 16, Et demus, Abraham, & Isaac tunc ignorasse, cùm nondum essent in gloria, inde non sequitur jam breatos similiter ignorare. Quomodo enim potest Deus amicis suis, quibus seipsum & verbum suum, & in verbo facta per verbum velut in speculo clarè videnda præbet, non etiam communicare scientiam eorum quæ ad ipsos spectant. Ad 2. ℞. illud Salomonis vel intelligi

de mor-

do mortuis morte æterna. h. e. damnatis, vel quòd ex se & naturali modo sine Dni revelatione nihil noverint, vel quod amplius, h. e. nihil novi addiscant; vel loquitur ibi (uti frequenter solet) in persona insipientium.

Dices 2. Apost. ait 1. Tim. 2 *Unus est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.* ℟. Subdolè hoc loco agunt hæretici, quia omittunt, quod immediatè sequitur; *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Qualem mediatorem certum est non esse nisi unicum Christum, quod non obstat, quo minus Sancti sint mediatores secundarij, sicut ipse Apostolus Moysen mediatorem vocat. *Gal.* 3.

Dices 3. Apoc. 22. 9, Angelus Ioannem cùm ipsum adorare vellet, prohibuit. ℟. Rectè prohibuit, quia Ioannes putavit, apparere sibi Christum, quem tanquam Deum adorare volebat, ut docet S. Aug. q. 16. in Gen. Sed nec Angelos, nec ullos Sanctos

Eccle-

Ecclesia colit, aut adorandos docet cultu latriæ soli Deo debito.

Dices 4. Ecclesia Romana non tantùm ait, *S. Maria, ora pro nobis*: sed etiam: *Miserere mei; spes mea, Refugium meum, vita mea, &c.* quæ soli Deo debentur. ℞. Illi loquendi modi nihil derogant Deo, cum solùm petamus, ut misereantur nostri, & juvent intercedendo apud Deum, sicut etiam Iob clamat: *Miseremini mei, saltem vos amici mei*, nec per hoc amicis suis aliquid tribuit soli Deo debitum.

CONTROVERSIA VI.

De cultu & veneratione Sacrarum Reliquiarum, & Imaginum Sanctorum.

QVÆSTIO I. An Reliquias Sanctorum venerari liceat?

℞. AFfirmative. Quia justorum corpora Spiritus S. habitacula fuerunt, electaque instrumenta, per quæ Deus mira operatus est, & quæ ipse honorat, per ea beneficia præstando homi-

hominibus: ſic attactis oſſibus Eliſæi mortuus reſurrexit: 4. Reg. 13. Per ſemicinctia & ſudaria S. Pauli infirmi multi ſanati ſunt. *Act. 10.* Mulier Hemorrhoiſſa tangens Chriſti fimbriam, curata eſt *Matt. 9. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum.* Pſ. 33. Hinc Deus ipſe ſepelivit corpus Moyſis *Deut, 4. 6.*

Dices. Matt. 23. 20, Væ dicitur Scribis & Phariſæis. quod ædificent ſepulchra Prophetarũ, & ornent monumenta juſtorum. ℞. Chriſtus hoc loco ſolùm reprehendit hypocriſim & ſpeciem ſanctitatis, quam ſimulabant Phariſæi, ut patet ex Luc. c. 11. ubi dicit: *teſtificamini, quia conſentitis operibus Patrum veſtrorum, quia illi Prophetas occiderunt vos autem ædificatis eorum ſepulchra.*

QVÆSTIO II. *Quid de Imaginibus tenendum?*

℞. 1. DEus non omnino prohibuit fabricam & uſum imaginum, ſed tantùm nè adorentur tanquam idola. Nam

la Nam Deus ipse Exod. 25 jussit fieri duos Cherubim aureos, & productiles ex utraque parte oraculi. Salomon curavit in Templo fieri Cherubinos, & Leones, & palmas, quasi similitudinem hominis stantis, &c. 3. *Reg.* 7. 36. Itaque finis, qui intenditur per imagines, facit opus illud bonum, aut malum. Proinde Salomon bene fecit construendo illas imagines; Ieroboam malè, fabricando vitulos aureos in Bethel. 3. *Reg.* 12.

℞. 2 Etiam honorari possunt imagines, quia honor ille non tribuitur lapidi, ligno, coloribus, aliisque materialibus, sed illi, qui per imaginem repræsentatur Sanctos, & qui ob virtutes & sanctitatem honore dignus est, inò in Sanctis honoratur Deus, cuius virtus & potentia in Sanctis relucet.

Dices. 1. Ioannes Ep. 1. c. 5. 21. *Filioli*, ait. *custodite vos à simulacris.* ℞. Monet conversos à se Ethnicos, nè redeant ad idololatriam.

Dices

Dices. 2. Saltem in hoc delinquit Ecclesia Romana, quod etiam Dei & Sanctissimæ Trinitatis Imagines proponat, quia hoc penitus prohibetur, *Isai.* 40. 13. *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam Imaginem ponetis ei, &c.* ℞. Hoc loco Deus non prohibet imagines sui; sed solum ostendit, non posse Dei naturam aut essentiam per ullam imaginem, ut in se est repræsentari, quod etiam credit Ecclesia Romana, nec enim illa intendit, per Dei & SS. Trinitatis propositas imagines eius naturam explicare, sed memoriam tantùm eiusdem & cultum ac venerationem excitare. Accedit, quod ipsa SS. Trinitas in Scriptura se aliquando in imagine & similitudine exhibuerit, Sic *Deus Pater in specie senis apparuit Danieli c.* 3. *Filius in similitudinem hominum factus & habitu inventus, ut homo.* Phil. 2. 7. *Spiritus S. in specie columbæ.* Matth. 2.

Dices. 3. Malè item fit, quod ante imagi-

imagines provolvamus in genua, easque adoremus, cùm solus Deus adorandus sit. ℞. Per illam genuflexionem non adoramus lignum & lapides &c. ut falsò nobis imputant adversarij, apud rudes insimulando nos idcirco Idololatriæ; sed cultus noster dirigitur immediatè quidem ad Sanctos, quorum imagines repræsentant, & quorum patrocinium imploramus; mediatè autem & ultimatè tendit in Deum, à quo solo velut largitore bonorum omnium id, quod petimus, consequi speramus intercedentibus & patrocinantibus Sanctis. Deinde an non Deus ipse jussit in veteri lege adorare scabellum pedum suorum, arcam & propitiatorium? Ps. 98, 3. *Adorate scabellum pedum eius.*

CONTROVERSIA VII.

De oratione pro mortuis & purgatorio.

QVÆSTIO I. An liceat orare pro Defunctis.

 ℞. Licet,

℟. LIcet, Prov. 1. & 2. Mach. 12. ubi Iudas Machabæus orari & Sacrificium offerri curavit pro defunctis, ac denique concluditur v. 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Nec dicas, libros illos non esse canonicos, cùm ab Ecclesia sint uti alij acceptati, & S. Aug. l. 18 de Civ. c. 36. eos pro canonicis agnoscit, & suo tempore ab Ecclesia (quæ tunc etiam Calvinistis, & Luteranis fatentibus integra & incorrupta fuit) pro canonicis habitos testatur, & à solis Iudæis reiectos ut apocryphos. Sed demus, non esse Canonicos, merentur minimùm fidem quam alij passim recepti historici: ergo saltem fide historicâ constat, jam ante Christum natum apud supremos Hebræorum, & totum populum Iudaicum pro comperto habitum fuisse, sanctè & salubriter pro defunctis, orari. Et 1. Cor. 15. dicuntur aliqui fideles se baptizare pro

mor-

mortuis, h. e. ut passim SS. PP. interpretantur, orationibus, ieiunijs, & his similibus operibus pœnalibus se affligere. Porrò S. Aug. l. 9. Conf. c. 11. testatur, hoc unum in extremis Matrem suam S. Monicam à se & socio suo Euodio petiisse, ut post mortem, ipsius ad altare vellent esse memores. Et frustra Calvinus l. 3. institut, c. 5. 11. 10. conatur illud eludere dicendo. fuisse anile votum, quia per hoc non solam Matrem, sed ipsum etiam S. Aug. arguit, quasi ipse in matre laudasset aliquid, veræ fidei, & Sacræ Scripturæ contrarium. Deniq; prob. ex Liturgijs antiquis SS. Petri, Iacobi, Matthæi, Andreæ, in quibus leguntur orationes pro defunctis.

QVÆSTIO II. Quid de Purgatorio tenendum?

℟. Credendum est, esse aliquem locum (quem Catholici purgatorium vocant, appellent alij ut volunt

de nomine non curamus) in quo post mortem satisfaciendum est pro pœnis peccatorum in hac vita non solutis, antequam admitti quis possit ad claram Dei visionem. Prob. ex Matt. 5. 26. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Et Matt. 12. 32. *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, ergo supponitur, remitti aliqua in futuro, saltem quoad pœnam temporalem. Hoc non fit in cœlo quia eó *nihil coinquinatum intrare potest* Apoc. 21. 17. nec in inferno, quia ibi *nulla est Redemptio*. Matt. 25. 40. Dari ergo debet locus tertius, qui est *Purgatorium*. Vide S. Aug. tom. 5. lib. 10. de civit. c. 2. & tom. in Ps. 56. v. 11 Confir. ex q. præc. Si enim utile est orare pro mortuis, ut à peccatis solvantur, ergo debent posse solvi ab illis, non alibi, quàm in loco purgatorii: ergo is datur.

Dices. Scriptura solùm meminit duorum

orum

orum locorum, quò deveniant animæ post mortem, *cœli* & *inferni*, ergò non datur tertius ℟. Meminit solùm duorum locorum, in quibus animæ perpetuo mansuræ sunt, alioqui plurium meminit, ut Luc. 16. Sinus Abrahæ. &c.

CONTROVERSIA VIII
De Indulgentijs.

EXtat in Ecclesia thesaurus satisfactionum ex Christi passionibus infinitus, qui nunquam exhauriri poterit. Cum enim Christus nullâ satisfactione indiguerit (utpote, qui peccatum non fecit, nec facere potuit. Cor. 5. & Hebr. 7.) nobis illa applicare potest, per eum, cui Dominus dixit: Matt. 16. *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, quæ promissio generalis est, omniaque vincula complectitur, quæ impedire possunt homines à consecutione salutis æternæ. Ac proindè ad sola peccata restringi non potest, qualis illa Io. 20. *Quorum*

remiseritis peccata, &c. Et, cur Christus illi negasset potestatem remittendi pœnam temporalem, cui potestatem dedit remittendi quælibet gravissima peccata, ijsque annexam pœnam æternam? Potestatem hanc exercuit S. Paulus remittendo pœnam temporalem incæstuoso illi, 2. Cor. 2. &c. Ad hunc thesaurum satisfactionum spectant Passiones B. V. & SS.

Additamentum perutile.

Pro Sacerdotibus, sive ex Iustitia, sive ex charitate curam animarum gerentibus. Quomodo se gerere debeant grassante peste. Autore R. P. Tobia Lohner. S. I.

NOverit Parochus obligatum se esse ex justitia, manere apud suos Parochianos nisi aliũ sibi substituat: imò etiam teneri, loca infecta adire, ad Sacramenta administranda ijs in casibus, in quibus periculum animæ incurrunt Parochiani curæ illius commissi; quales

casus

casus ferè sunt sequentes. *Primus.* Si infans natus esset, qui neminem haberet, à quo baptizari posset: si enim alius, (etiam Laicus tantum) adesset, non deberet se Sacerdos cum damno totius Communitatis in apertum periculum conjjcere, sed plurium auxilio reservare. *Secundus est*, Si peste infectus ita rudis sit, ut meritò dubitari possit, num contritionem de peccatis perfectam eliciturus sit; tunc enim tenetur ad confessionem ægri audiendam nisi probabile sit, illum (sive quia paulò antè, seu ante paucos dies confessus est, sive, quia aliàs timoratæ conscientiæ fuit) nulli peccato mortali obnoxium esse. Potest tamen in tali casu, si vel plures essent in eodem cubiculo, ut commodè unus sine altero audiri non posset, vel certè periculum contagionis immineret, ægrum absolvere, si unicum peccatum, vel mortale, vel veniale expressisset. *Tertius est.* Si æger facultate loquendi destitutus.

& de quo dubium esse posset, num in statu gratiæ sit, confiteri non posset, sed communicare tamen; tum enim tenetur Sacerdos ei SS. Eucharistiam porrigere, tanquam probabile medium gratiæ in tali casu obtinendæ. In qua administratione non potest SS. Eucharistiam in mensa ponere, ut ipse æger eam assumat; vel in orbe, aut patina illam offerre, sed ordinario modo porrigere debet. *Quartus est.* Si æger ratione destitutus, & neque confessus, neque SS. Eucharistiâ refectus, probabiliter tamen in statu gratiæ esse crederetur: tum enim juxta Tannerum, Filiutium, Granadum, Dianam, Præpositum teneretur etiam cum vitæ periculo Sacramentum hoc illi administrare (licèt Hurtado apud Dianam contrarium sentiat) nisi ex morte Sacerdotis certum & grave periculum toti Communitati immineret; tunc enim privatum huius ægri commodum communi bono Communitatis postponendum esset.

2.

2. Noverit ſuas partes etiam eſſe, pro Concione populum de ſequentibus admonere. *Primò.* Ut quilibet ſibi perſuadeat, ſe eſſe in manifeſto periculo mortis, atque adeò per Sacramenta piè ſuſcepta maturè ſibi proſpiciat. *Secundo.* Ut, cùm peſtis communiter à Deo propter peccata immittatur, quiſque tum pro ſe, tum pro tota Communitate Deum placare ſtudeat, & convenientibus medijs juſtiſſimam hãc Dei iram avertere. *Tertiò.* Ut ij, qui peſte correpti ſunt, intra domos ſuas ſeſe contineant, nè alios etiam inficiant, ſed, & ij, qui ſani ſunt, non temerè cum infectis agant, & in periculum ſe conijciant. *Quartò* Ut omnes qui in templo confitentur, os non versùs Sacerdotem, ſed versùs tabulam convertant, aut imaginem confeſſionali appenſam: neque tunc alij pœnitentes propiùs accedant, ut liberiùs Sacerdos & pœnitens cavere poſſint mutuum anhelitum, & reſpirationem,

neque ab adſtantibus audiantur. *Quintò*. Ut ſi vocaverint Sacerdotem ad ægrum, priùs aperiant feneſtras (niſi frigoris aſperitas, aut nebuloſus aër id impediat) deinde igne ex odoriferis lignis, aut ramuſculis excitato, aërem priùs purgent. *Sextò*. Ut, ſi ex una parte nullius peccati gravioris ſibi conſcij ſint, ex altera verò parte cogitare poſſint, Sacerdotem contagione corripiendum ſi Sacramenta illis diſtribuat, ſicque ſubſidium neceſſarium Communitati ſubtrahendum, abſtineant amore proximi a petitione talium Sacramentorum, certoque ſibi perſuadeant per hunc actum charitatis recepturos eos id, quod ex Sacramentorum, ſuſceptione alioqui obtinuiſſent. *Septimò*. Ut, dum ſani ſunt maturè ſe ſpiritualibus remedijs contra peſtem muniant. Præ cæteris efficatiora videntur iſta: dolor ſincerus de peccatis; opera pœnitentiæ; certæ preces ad B. Virginem. S, Sebaſtianum, S. Carolum

Boro-

Boromeum, &c. Maximè verò Litaniæ Lauretanæ, Rosarium, vel ipsa etiam Salutatio Angelica recitata multis profuit ad pestem avertendam. *Octavò* Juverit etiam ostendere, quam cautelam in cura ægrorum suscipiendam adhibere, & quæ ordinariè media corporalia ab ipsis etiam plebeis & pauperibus hominibus adhiberi possint.

3. Præter industrias spirituales suprà recensitas, quibus utique Sacerdos se ante omnes alios munire debet, alia etiam media & industriæ sedulò ab ipso sunt adhibendæ, quæ quidem à prudentibus viris sequentes plerumque habentur.

Prima est. Ut summâ diligentiâ curet, nè unquam ad infectos jejunus accedat: itaque convenit, ut maturè celebret, dein jusculum, vel vinum medicatum sumat ex herba absynthij, scordij, cardui benedicti, dictamni Cretici, corticibus citri exsiccati, radicibus pimpinellæ; ex quibus sacculus vino impositus conficitur. Se-

Secunda; Ut infectos aditurus habeat vestem attritam; laneæ enim novæ, vel villosæ pelles, plus periculi habent: interiores magis convenit esse ex corio, quàm laneas: omnes veró vestes postquã redierit, igne purgentur,

Tertia; Ut manè aliquas partes corporis oleo scorpionum, vel alio alexipharmaco illiniat, v. g. circa cor, sub axillis retro auriculas, ac denique ipsos pulsus. In ipso accessu ad ægrotum extrema labia, nares, tempora, balsamo vel aceto ad hunc usum confecto, inungi debent.

Quarta est. Ut antequam ad ægrum eatur, manus & facies aquâ laventur, cui permixtum sit acetum vel vinum, in quo aliquæ herbæ odoriferæ macecratæ fuerint; quales sunt absynthium, salvia, rutha, melissa, Maioran, Hyssopus, artemisia, spicanardus &c. eædem herbæ si circa locum ægri sparsæ sint, & subinde moveantur, & confricentur, mirè aërem infectum temperant. Idem

præ-

præstat acetum aspersum subinde lecto ægri.

Quinta: Ut, si infectus adeò æger non sit, & regionis ac locorum consuetudo permittat, ad januam domûs, vel aliquem locum patentiorem eum deferri jubeat.

Sexta; Curet, ut ante ingressum suum æger in lecto ità componatur, ut commodè confiteri possit. Attendat insuper, nè æger multùm se moveat in præsentia sua, aut lectum aperiat, aut in lecto hinc indè se moveat, Non minùs ipse etiam Sacerdos ab omni contactu ægri abstineat, ideoque nec manum salutandi gratiâ porrigat, neque pulsum ægri exploret, neque loca infecta & carbunculos contrectet, nec etiam curiosè cupiat aspicere, nè fortè indè horrorem concipiat.

Septima; sollicitè curandum est, nè Sacerdos ægri anhelitum excipiat; ex hoc enim facillimè hauriri potest venenum. Itaque sequentes cautelas ad-

hibeat. 1. Supra ægrum se non inclinet, si proinde lectus sit humilis, poterit, vel supra ligneum scabellum sedere, vel flexis genibus audire; sella autem ex pãno viloso omnino non est admittenda, propter pilos in ipsa inclusos 2. Aurem ei non admoveat, sed potiùs ad vocem elatiorem ægrum hortetur. 3. Non ex adverso ægri, sed potiús ad latus vel à tergo consistat. 4. inter ipsum & confitentem non procul ab ore candela accensa intercedat. Probantur maximè illæ candelæ, quæ maiorem ignem fovent: aliqui Medici ad hunc usum speciales confecerunt ex rebus odoriferis, quæ scilicet ignem foveant, & suffitum præstent. Apud ditiores proderit plures candelas circa lectum accensas habere. 5. Os & nares vel obvolvantur, vel sæpius tingantur strophiolo intincto in aceto Bozoartico, vel alio Alexipharmaco.

Octava. Confessionem ità audiat, ut essentialiter quidem nihil intermittat; à super-

à supervacaneis tamen abstineat, nè longior mora sit necessaria, quam ad rem juverit efficacia quædam dicta vel facta Sanctorum in promptu habere, quibus breviter & Contritionem in ægris, & patientiam ad tollerandum malum possit excitare: quód si necessitas Confessionis exigat longiorem moram omninò juverit subinde aëris purioris recipiendi gratiâ fenestram, vel alium patentiorem locum adire.

Nona; Quàm primúm aliquâ pestilentiore aurâ se inflatum senserit; statim sudorifero aliquo haustu, vel bolo, quales sunt ex theriaca, ovo aureo, vel bezoare, sudorem eliciet; & cum sudore venenum propellet: quod etiam cum nondum infectus est, quâvis minimúm hebdomadâ est faciendum.

Decima; Cùm nonnunquam contingat, ut infecti etiam ad templum confessionis gratiâ penetrent, pro maiori securitate semper studeat Sacerdos penes se habere Amuleta, & alijs præser-

vati-

vativis se munire; ad minimùm verò tẽpora, os, nares, inungat balsamo vel aceto, & odoratos nodulos penes se habeat, in quibus spongia aceto, vel ex rutha, vel oleo juniperi intincta sit ut eorum odore spiritus subinde recreentur.

Undecima; Juverit, si Sacerdos animum priùs corroboret, nè si forsan præter ipsius expectationem veniat infectus, subito & nimio terrore afficiatur, & periculum indè sibi creet. Ut verò tantò minus periculum mortis timeat, sæpè ob oculos sibi ponat præstantiam huius charitatis, quâm ex eo satis colligere potest, quod talis mors ordinariè à Doctoribus, Martyrio comparetur.

Duodecima; Postquam infectum aliquem audivit, consultum videtur, aliud quasi agendo à Confessionali domum secedere, & se ad ignem ramusculis juniperi excitatũ purgare, faciẽ aceto aquâ mixto lavare, auram liberam capta-

captare: quâre & sibi & alijs consulet. Si necessitas non urgeat, expedit idem Confessionale non repetere, donec populo dilapso sedes per ignem, vel aspersionem, aut lotionem aquæ ex rutha purgetur.

Tertiadecima; Persona, quam constat esse infectam, moneatur, ut vel domum suam Confessarium vocet vel eo tempore veniat, quo homines non sunt in templo: tunc enim extra Confessionale eam audire posset in tanta distantia, quæ moraliter careret periculo.

Quartadecima; Denique peste cessante, & se per divinam gratiam servato, gratias Deo debitas habeat, eique humili animo omnia quæ egit, ac cepta referat, seque ad ulteriores casus præparet, offeratque.

ACTVS.

Devotissimi, qui cum moribundis lentâ voce, nè molestentur dici

dici possunt, quibus actibus & ipse Sacerdos uti poterit.

PAter cælestis, dulcedine omnium misericordiarum plene! ecce nunc angustiatus spiritus meus disponit se in viã longissimæ æternitatis: suscipe tu illum in benignas manus tuas: ad imaginem tuam tuô beneplacito creatus est, noli reprobare imaginem hanc, nè opus tuum irrideant inimici tui, si illud perire permitteres.

Recordare ô! amantissime æterne Pater illius amoris tui, quô mihi donasti Filium tuum, & illum tantis in sanguinea Passione cruciatibus & tormentis, ut me salvares, tradidisti.

IESV suavissime, & unica cordis mei consolatio, commendo tibi,

tibi, indignam licet animam meam, ne in hac periculosissima lucta pereat: nimis carò me redemisti de captivitate inimicorum meorum: ostende nunc misericordiam tuam, ut experiar, quam pretiosa sit Cruoris tui divini merces, & fructus meritorum tuorum.

Spiritus Sanctissime, fovisti me semper, sed nunc maximè necessaria mihi est miseratio tua, amore tuo non sum dignus, sed tamen in infinita bonitate tua confidentē protege me à periculo damnationis custodi à damno æternæ mortis.

Dulcissime Redemptor (*aspiciat infirmus imaginem Crucifixi*) in brahia hæc cruci affixa, & in Sacratissima uulnera tua cõmendo

do ex hoc corpore abeuntem ſpiritum meum.

O IESV pro me crucifixe, ſi quando, certe nunc oſtende mihi, quod ſis meus Ieſus, id eſt Salvator, in his tuis pretioſiſſimis vulneribus cõfido, quia nõ peribo,

Sed & tu miſericordiſſima Redemptoris mei Mater, benedicta María, adeſto mihi in hac ultima agonia mea, nè prævaleat adverſum me inimicus meus, lachrymæ tuæ quas fudiſti ſub Cruce, amaram videns Filij tui mortem, ſint mihi ſolatium, lac tuum, quô Ieſum potaſti, confortet me, nè deficiam in via æternitatis.

Poſt Filium tuum ô! Superbenedicta Mater innititur ſpes mea maternæ tuæ pietati, reſpice me, & tuta ac ſalva erit anima mea.

Ioſeph

Ioſeph Sanctiſſime qui inter brachia Ieſu & Mariæ ſuaviſſimè expiraſti, adiuva me in hoc hora, & impetra ultimum felicem halitum.

Felix Virgo, Barbara benedicta, tuæ curæ commendavi me ſemper, adeſto mihi, & oſtende, quãtum potes apud Deum meum.

Archangele Michael Patrone mi fideliſſime, tuàm nunc invoco potentiam, defende me, à Principe tenebrarũ, nè noceant mihi terrores illius, quia & ſi peccata mea ſentio, tamen, in miſericordia Dei plurimum confido.

Tibi quoq; gratias reddo S. Angele cuſtos, pro omnibus laboribus tuis quos per totam vitam ſuſcepiſti pro me, portaſti me hactenus in manibus tu-

is,

is, nunc rogo te igitur, nè etiam deponas me de his manibus, ut non offendam, pedes meos & cadam turpiter in hora mortis meæ.

Amen.

Appendix.

perutilis ad hunc librum
continens.
in quo inveniuntur
variae deprecationes, Hymni,
orationes, &c. per quosdam
Authores scriptae

J. Michael

Vatter unser, der du
bist in dem Himmel ge-
heiliget werde dein
Nahme zu komme unß
dein Reich, dein will
geschehe, wie im Himel
also auch auff erden, un-
ser täglich brod, gib uns
heute [illegible] Vergieb
uns unsere schuld als
wie wir vergeben unsern
schuldigern, und führ

und nicht in versüchung
sondern erlöse uns Von dem
übel Amen.
Begrüsset seyst du Maria du
du bist Voller genaden der
Herr ist mit dir, du bist ge,
benedeyet unter den weibern
und gebenedeyet ist die frucht
deines leibes Jesus Heylige
Maria Mutter Gottes bitte
Gott für uns arme sünder
jetzt und in der stunde
unsers absterbens Amen.

Ich glaub in Gott dem Vat,
,der Allmächtigen Schöpffer
Himmels undt der erden,
undt in Jesum Christum
sein Eingebohrnen Sohn
unsern Herren der empf,
,fangen ist Von dem Heiligen
Geist gebohren auß Maria
der Jungfrawen gellitten
unter Pontiu Pillato ge,
,kreitziget gestorben
undt begraben, abge,
,stiegen zu der Höllen

am dritten tage wiederumb
auferstanden, sitzet zu der
rechten Hand Gottes von dan,
nen er komen wird zu richten
die lebendigen und die Todten:
Jch glaube in den Heyligen
Geist, eine Heylige allgemei,
ne Christliche catholische
kirche gemeinschaft der
Heyligen ablaß der sünden
auferstehung des fleisches
amen.

Salve Regina Mater Mi=
sericordiæ vita dulcedo,
et Spes nostra Salve,
ad te clamamus exu=
=les filij Evæ. Ad te
Suspiramus gemen=
=tes et flentes in hac
lachrymarum valle.
Eia ergo Advocata
nostra illos tuos mise=
=ricordes oculos ad

nos converse, Et Jesum
Benedictum fructum
ventris tui nobis post
hoc exilium ostende
O Clemens O Pia O
dulcis Virgo Maria.
V: Ora pro nobis Sancta
Dei Genitrix.
R. Ut digni efficiamur
promissionibus Christi.

Oremus

Omnipotens Sempiterne Deus, qui gloriosæ Virgi=nis Matris Mariæ cor=pus et animam ut dig=num filij tui habitacu=lum effici mereretur Spiri=tu Sancto cooperante præ=parasti, da ut cujus commemoratione læta=mur, ejus pia inter=

cessione ab instantibus
malis et à morte per-
-petua liberemur libe-
-remur. Per eundem
Christum etc.

Alma Redemptoris
Mater quæ pervia
coeli Porta manes, et
Stella maris Succurre
cadenti Surgere qui

curat populo: tu quæ
genuisti natura mi-
rante tuum Sanctum
Genitorem, Virgo prius
ac posterius, Gabrielis
ab ore, Sumens illud
Ave, peccatorum miserere.

In Adventu

Angelus domini nun-
tiavit Mariæ
R. Et concepit de Spiritu
Sancto.

Oremus

Gratiam tuam quae-
sumus Domine men-
tibus nostris infunde
ut qui Angelo nuntiante
Christi filij tui Incarna-
tionem cognovimus per
Passionem eius et Crucem
ad Resurrectionis gloriā
perducamur. Per eun-
dem Christum dominum
Nostrum Amen.

Post Adventum

Post partum Virgo In-
violata permansisti.
℟. Dei Genitrix intercede
pro nobis.

Oremus.

Deus qui salutis aeter-
nae B: Mariae Virgi-
nitate foecunda huma-
no generi praemia praes-
titisti: tribue quaesumus

ut ipsam pro nobis inter-
-cedere sentiamus per
quam meruimus Aucto-
-rem vitae suscipere do-
-minum Nostrum Jesum
Christum filium tuum.
Amen.
A Completorio Purificatio-
-nis usque ad Nonam Sabbat-
-hi Sancti Inclusivè
Antiphona

Ave Regina coe,
"lorum.
Ave Domina An,
"gelorum.
Salve Radix, Salve
Porta
Ex qua Mundo
lux est orta
Gaude Virgo glo,
"riosa

Super omnes Speciosa
Valde o valde decora
Et pro nobis Christum
exora.
℣ Dignare me laudare
Te Virgo Sacrata
℟ Da mihi virtutem
contra hostes tuos
Oremus
Concede Misericors

Deus fragilitati nos-
tra praesidium, ut
qui Sanctæ Dei Ge-
nitricis memoriam
agimus, intercessionis
eius auxilio à nostris
iniquitatibus resurga-
mus. Per eundem Chris-
tum Dominum nostrum
Amen.

A Completorio Sabbathi S.
usque ad Nonam post Pentecos,
ten inclusivè

Antiphona

Regina coeli laetare Alle:
Quia quem meruisti
portare Alleluia
Resurrexit, sicut dixit
Alleluia.
Ora pro nobis Deum
Alleluia.

Oremus

Deus qui per Resur-
rectionem Filij tui Do-
mini Nostri Jesu Christi
mundum lætificare
dignatus es: præsta
quæsumus, ut per eius
Genitricem Virginem
Mariam perpetuæ ca-
piamus gaudia vitæ.
Per eundem Christum
&c.

Oratio quotidiana S. Casimiri Regis

Anno ~~1007~~. 1058.

Supra ipsius pectus reperta.

Omni die dic Mariæ
mea laudes anima
ejus festa ejus gesta
cole devotissima.
Contemplare et mirare
ejus celsitudinem
dic felicem genitricem,
dic beatam Virginem.
Ipsam cole ut de mole
criminum te liberet
Hac n̄ appella ne procella
vitiorum superet.
Hæc persona nobis dona
contulit celestia
hac Regina nos divina
illustravit gratia.

Lingua mea dic trophaea
Virginis puerperae,
quae inflictum maledictum
miro transfert germine.
Sine fine dic Reginae
mundi laudum cantica
ejus bona semper sona
semper illa praedica.
Omnes mei sensus Ei
personate gloriam
frequentate tam beatae
Virginis memoriam.
Nullus certe tam disertus
extat eloquentia
qui conjicere possit tantas
ejus Excellentia.
Omnes laudent unde gaudent
Matrem Dei Virginem
nullus fingat quod attingat
ejus Celsitudinem.

Nemo dicet quantum licet
laudans ejus merita
ejus cuncta sunt creata
ditioni subdita.

Sed necesse (: quod prodesse
piis credo mentibus :)
ut intendam quod impendam
me Ipsius laudibus.

Quamvis sciam quod Mariam
nemo dignè prædicet
tamen vanus et insanus
est qui Illam reticet.

Cujus vita erudita
disciplina cœlica
argumenta et figmenta
destruxit hæretica.

Hujus mores tanquam flores
exornant Ecclesiam
actiones et sermones
miram præstant gratiam.

Evae crimen nobis limen
paradisi clauserat,
Haec dum credit et obedit
coeli claustra reserat.
Propter Evam homo saevam
accepit sententiam
per Mariam habet viam
quae ducit ad Patriam.
Haec amanda et laudanda
cunctis specialiter
venerari et praedicari
decet illam jugiter.
Ipsam posco quam agnosco
[illegible],
ut evellat [illegible]
quae [illegible]ia;
Ipsa docet [illegible]
Natus eius [illegible]iam
ut finita carnis vita
laetus hunc aspiciam.

O cunctarum feminarum
decus atque Gloria
quam probatam et elatam
scimus super omnia.
Clemens audi tue laudi
quos instantes conspicis
munda reos et fac eos
bonis dignos celicis.
Virga Jesse, spes oppresse
mentis et solatium
Decus mundi lux profundi
Domini sacrarium.
Vite forma morum norma
plenitudo gratie
Dei templum et exemplum
totius justitie.
Virgo salve per quam valve
celi patent miseris
quam non flexit nec allexit
fraus serpentis veteris.

Gloriosa et formosa
David Regis filia
quam elegit Rex qui regit
et creavit omnia.
Gemma decens rosa recens
castitatis lilium
castum chorum ad Polorum
quo perducis gaudium.
Actionis et sermonis
facultatem tribue,
et tuorum meritorum
laudes promam strenue;
Opto nimis et in primis
Des mihi memoriam,
et recolendo et frequenter
tuam [illegible].
[illegible] [illegible] et [illegible]
mea [illegible] [illegible]tia
[illegible]sumendum non [illegible]
[illegible] de tua gratia.

Virgo gaude quia laude
 digna es et præmio
 quæ damnatis libertatis
 facta es occasio.
Semper munda et fœcunda
 Virgo tu Puerpera,
 Mater alma velud palma
 virens et fructifera.
Cujus flore et odore
 recreari cupimus
 ejus fructu nos à luctu
 liberari credimus.
Pulchra tota sine nota
 cujuscunque macula
 fac nos mundos et jocundos
 te laudare debite.
O beata per quam data
 nova mundo gaudia
 et aperta fide certa
 regna sunt cœlestia

Per quam mundus lætabundus
novo fulget lumine
antiquarum tenebrarum
offusus caligine.
Nunc potentes sunt egentes,
sicut olim dixeras,
et egeni fiunt pleni
ut tu prophetaveras.
Per te morum nunc pravorum
relinquuntur devia
doctrinarum perversarum
pulsa sunt prestigia.
Mundi luxus atque fluxus
docuisti spernere
Deum [illegible] [illegible] teri
vitiis [illegible].
Mentis [illegible] gere sursum
pietatis [illegible]io.
corpus animi motus frangi
[illegible] celesti premio.

Tu portasti intra casti
ventris claustra Dominum
Redemptorem, ad honorem
nos reformans pristinum.
Mater facta sed intacta
genuisti filium
Regem Regum atque verum
Creatorem omnium.
Benedicta per quam victa
mortis est versutia
destitutis spe salutis
datur indulgentia.
Benedictus Rex invictus
cujus Mater crederis
qui Creator [illegible]
nostri salus generis.
Reparatrix consolatrix
desperantis animae
a pressura quae ventura
malis est nos redime.

Pro me pete ut quietē
sempiterna perfruar,
ne tormentis comburentis
stagni miser obruar.
Quod requiro quod suspiro
mea sana vulnera
et da menti te poscenti
gratiarum munera.
Ut sim castus et modestus
dulcis blandus sobrius
pius rectus circumspectus
~~[illegible]~~.
Eruditus et munitus
divinis eloquiis
beatus et [illegible]atus
sanctis [illegible].
Constans gravis et suavis
benignus amabilis
simplex purus et maturus
comis et affabilis.

Corde prudens, ore studens
veritatem dicere,
malum nolens Deum colens
pio semper opere.
Esto tutrix et adjutrix
Christiani populi
pacem presta nè molesta
nos perturbent seculi.
Salutaris stella maris
salve, digna laudibus
quæ præcellis cunctis stellis
atque luminaribus.
Tua dulci prece fulci
supplices et refove,
quidquid pravat et depravat
mentes nostras remove.
Virgo gaude quæ de fraude
dæmonis nos liberas
Cum in vero [illegible] sincera
Deum carne generas.

Illibata et ditata
coelesti progenie
gravidata nec privata
flore pudicitiae.
Nam quod eras perseveras
dum intacta generas
illum lactans atque laudans
per quem facta fueras.
Mihi maesto nunc adesto
dans perenne gaudium
dona quaeso nimis laeso
optatum remedium.
Comendato me Beato
Christo tuo Filio
ut non cadam sed evadam
de mundi naufragio.
Fac me mitem pelle litem
compesce lasciviam
contra crimen da munimen
et mentis constantiam.

Non me liget nec fatiget
seculi cupiditas
que obscurat et indurat
mentes sibi subditas.

Nunquam ira nunquam dira
me vincat elatio
que multorum fit malorum
frequenter occasio.

Ora Deum ut cor meum
tua servet gratia
nè antiquus inimicus
seminet zizania.

Da levamen et tutamen
tuum illis jugiter
tua festa sive gesta
qui colunt veraciter

Amen.

Quinque Orationes Singulares ad S. Josephum.

O S. Joseph, Redemptoris mei Christi Jesu Fidelis Oeconome ac Nutritie, castissimae Virginis Deiparae Sponse, ego te hodie in Patronum et Advocatum meum singularem eligo firmiterque propono me nunquam te derelicturum neq; permissurum, ut a quoquam ex meis subditis contra tuum honorem aliquid unquam agatur. A te igitur peto suppliciter, ut me in Clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere in adversis solari in hora deniq; mortis defendere ac protegere digneris.

O S. Joseph qui tanquam Pater et manuductor Christum Jesum in pueritia et juventute p

Omnes peregrinationis humanæ vias fidelissimè deduxisti et mihi obsecro in vitæ meæ peregrinatione tanquam comes et ductor assiste nec unquam permitte me à via mandatorum Dei declinare, sis mihi in adversis præsidium, in ærumnis solatium, donec tandem ad terram viventium perveniam ubi tecum et Sanctissima Sponsa tua Maria omnibusque Sanctis in Deo Jesu meo æternum exultem.

O S. Joseph, cui Jesus hic in terris sese subjecit promptèque obedivit, quemque singulari semper honore et amore [illegible] est, quomodo idem in [illegible] tui [illegible] re, munera [illegible] merita, quidquam denegavit: [illegible] pro me [illegible] Joseph gratiam [illegible] impetra imprimis: [illegible] serio detester, occasiones [illegible] — —

fugiam, vitam in melius emendem,
constanterque me virtutum studio
impendam, præsertim harum — —
ab his — — tentationibus et pec-
candi periculis quibus anima mea
in damnationem induci posset, et
ab afflictione et miseria hac — —
nisi id Divinæ voluntati meæque
saluti adversaretur, tua Paterna
protectione et pia intercessione
liberer, in his tamen omnibus
et aliis totum me Divino arbitrio
tuæque paterno fidei commito.

O S. Joseph qui in suavissimo Jesu
clientis tui et dulcissimæ sponsæ
tuæ Mariæ complexu ex hac
vita emigrasti, adesse mihi
o S. Joseph cum Jesu et Maria tunc
præcipuè, quando mors vitæ
meæ finem imponet, hoc denique
quod unicè peto, solatium mihi
impetra, ut in iisdem [illegible]

// Jesu et Maria brachiis exspi,
rem. In manus vestras vi,
vens et moriens commendo
spiritum meum Jesus Maria
Joseph.

O. Beatissime Joseph quanta tibi
a Deo gratia concessa est quod
unigenitum ejus filium in carne
quem tot reges videre frustra ex,
optârunt, non tantum videris, sed
et brachiis paterno affectu am,
plexus fueris, utinam ex hoc tuo
exemplo inflammatus et patrocinio
tuo adjutus Dominum ac Redemp,
torem meum Christum Jesum si,
mili amoris ac reverentiae affectu
complectar in SSmo Altaris sacramento
[illegible] merear eundem posthac aeter,
num complecti in [illegible] Amen.

Preces
ad Litaniam
de S. S. Nomine Jesu.
pag. 129. – 135.

Pater noster &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Panem de Cælo præstitisti eis.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

℣. Fiat pax in virtu=
te tua.
℟. Et abundantia in
turribus tuis.
℣. Domine exaudi ora=
tionem meam.
℟. Et Clamor meus ad
te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Oremus.
Deus, qui nobis sub Sa=

cramento mirabili
passionis tuæ memo=
riam reliquisti, tri=
bue nobis quæsumus
ita nos Corporis et
Sanguinis tui Sa=
cra mysteria vene=
rari, ut redemtionis
tuæ fructum in no=
bis jugiter sentiamus.
Deus refugiu ...

nostrum et virtus,
adesto piis Ecclesiæ
tuæ precibus auctor
ipse pietatis, et præsta
ut, quod fideliter pe-
timus efficaciter
consequamur. Per
Christum Dominum
nostrum.
℟. Amen.

BENEDICTIO MENSAE.

Ante prandium sacerdos benedicturus mensam incipit. Benedicite et alii repetunt Benedicite Deinde dicit V. Oculi omnium. Et alij prosequuntur. R. In te sperant, & tu das escam D[omi]ne illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione Gloria Sicut erat Kyrie eleison, Christe eleis. Kyrie eleis. Pater noster secreto V. Et ne nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos a malo.

Postea sacerdos dicit: Oremus Benedic Domine nos, & haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum D[omi]n[u]m nostrum R. Amen.

Deinde Lector: Jube Domine benedicere Benedictio, Mensae coele=

tis participes faciat nos
Rex aeternae gloriae. ℟. Amen.
Post prandium agantur gratiae
hoc modo. Dicto a Lectore, Tuau-
tem Dñe miserere nobis.
℟. Deo gratias. omnes surgunt.
Sacerdos incipit. ℣. Confiteantur
tibi Dñe omnia opera tua.
℟. Et sancti tui benedicant tibi.
℣. Gloria Patri: ℟. Sicut erat.
Postea sacerdos absolute dicat.
Agimus tibi Gratias omnipotens
Deus pro universis beneficiis
tuis: Qui vivis & regnas in
saecula saeculorum. ℟. Amen.
Deinde alternatim dicitur Psal:
Miserere 50. vel Psal. Laudate
Dñum omnes gentes 116. in fine. Glo-
ria Patri & Filio. Sicut erat
Kyrie eleison Christe eleison Kyrie
eleison. Sacerdos dicit, Pater no-
ster ℣. Et ne nos inducas in ten-
tatione ℣. ℟. Sed libera nos a malo.

V. Dispersit, dedit pauperibus. R. Justitia ejus manet in saecula saeculi.
V. Benedicam Dnum in omni tempore.
R. Semper laus ejus in ore meo.
V. In Dno laudabitur anima mea
R. Audiant mansueti et laetentur.
V. Magnificate Dnum mecum
R. Et exaltemus nomen ejus in idipsum.
V. Sit nomen Dni benedictum
R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
Deinde sine Oremus.
Retribuere dignare Dne omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam
R. Amen. V. Benedicamus Dno.
R. Deo gratias. V. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace R. Amen. Pater noster.
Quo finito dicit sacerdos.
Deus det nobis suam pacem
R. Amen. Ante coenam sacerdos benedicturus mensam incipit Benedicite et alii repetunt: Bene

dicite

Oratio Dominica
quae
a piis Christianis saltem quotidie semel dici debet.

Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen Tuum: adveniat regnum Tuum; fiat voluntas Tua, sicut in coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo, Amen.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum; Benedicta tu in mulieribus, et benedictus

fructus

fructus ventris tui Jesus:
Sancta Maria Mater Dei, ora
pro nobis peccatoribus nunc,
et in hora mortis nostrae, Amen

Symbolum Apostolorum.

Credo in Deum, Patrem omni
potentem, Creatorem coeli et
terrae. Et in Jesum Christum
filium ejus unicum, Domi
num nostrum: qui conceptus
est de Spiritu sancto, natus
ex Maria Virgine, passus
sub Pontio Pilato, crucifixus,
mortuus et sepultus: descen
dit ad inferos: tertia die re
surrexit a mortuis, ascen=
dit ad coelos, sedet ad dexte
ram Dei Patris omnipoten
tis: inde venturus est judica
re vivos et mortuos. Cre:

do in Spiritum sanctum, san
ctam Ecclesiam Catholicam,
Sanctorum Communionem, re
missionem peccatorum, ~~resur~~
carnis resurrectionem, vitam
aeternam Amen

Decalogus.

1. Ego sum Dominus Deus tu=
us, non habebis Deos alienos
extra me.
2. Non assumes nomen Domini
Dei tui in vanum.
3. Diem sabbati sanctifices.
4. Honorabis patrem et matrem
tuam, ut sis longaevus super
terram.
5. Non occides
6 Non moechaberis
7. Non furtum facies.
8. Non loqueris contra proximum
tuum falsum testimonium.

9. Non concupisces uxorem proximi tui.
10. Non concupisces domum servum, ancillam, pecus proximi tui, nec omnia quae illius sunt.

Quinque leges Ecclesiae.

1. Statutos Ecclesiae festos dies celebrato.
2. Sacrum Missae Officium reverenter audito.
3. Jejunia certis diebus temporibusq indicta celebrato.
4. Peccata tua sacerdoti proprio singulis annis confiteor, Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa Festum Paschae sumito.
5. Certis temporibus (interdictis) non nubere.

Septem SS. Sacramenta.

1. Baptismus. 2. Confirmatio.
3. Eucharistia, 4. Poenitentia.
5. Extrema unctio. 6. Ordo.
7. Matrimonium.

Modus devote audiendi S. Missam.

Praeparatio.

Omnipotens aeterne Deus! Ubique equidem Te adorare possumus, sed complacet Tibi, si communiter cor nostrum ad Te efferamus. Atque voluntas haec est sanctae Ecclesiae Tuae, quam Tua causa magni aestimo, et huic obedio. Inibi sumus

quasi una unica familia apud
Te patrem nostrum coelestem,
collecti, et idipsum eo magis
sentimus, quod Tui omnes su-
mus. Domi saepius in de-
precationibus inquietamur, et ~~a~~ curae terrestrorum
distrahunt nos ab illis. Sed
in domo haec, quae Tuae publi-
cae adorationi est consecrata,
nihil officit nobis in piis
cogitationibus, et unus,
per bonum exemplum alteri
ad devotionem stimulatur.
~~Eadem causa~~ animo et ego venio ho-
die in domum Tuam carissime
Deus! in communitate cum
fratribus meis tibi maximam
reverentiam, amorem, et
gratiarum actionem publice
&c.

persolvere. Ergo sis mihi
clemens, et non despicie me ma
ximum peccatorem, et omnes
illos, qui ad audiendum ver
bum Tuum congregati sunt
Imple corda nostra cum vera
devotione, et exaudi depreca
tiones nostras et petitiones,
ut recente gaudio et vi ad omne
bonum formati revertemur
domum.

Ah! quanta~~m~~ misericordia
nos affecisti, benignissi
me Deus! qui dedisti ~~dabis~~ nobis
filium Tuum nro Redemptore.
Quis tibi pro talem amorem
satis gratias agere valet?
Quis comitatem tuam satis lau
dare? Quid homo est ut tam
benigne de eo cogitas, et
tam clementer nos adoptasti?

Nihil sumus, quam pulvis
et cinis; Tu vero omnipotens
Deus coeli et terrae! Non me
ruimus omnia haec bona, quae
donasti nobis, nos peccatores
nihil potuimus expectare
praeter poenam. Ast Tu
mi Deus ~~nihil~~ es dives lar
gitate misericordiae! Non
placentiam habes in poena
et perditione peccatoris, sed
ut se convertat et vivat.
Indulgentiam patientiamque
habes cum filiis tuis vitiosis.
Ecce, poenitet ~~me~~ nos, ingrate
adversum Te, nostrum maxi:
mum benefactorum fecisse!
Ideo clamamus ad Te corde
contrito: Domine misere
re nobis.

Ad Gloria.

Arguti de Tua Gratia et pa
terna benevolentia in Christo,
canimus cum sacerdote et
omnibus spiritibus coele
stis jubilantes:
Gloria in excelsis Deo, et fe
licitas, salus, et benedictio
omnibus bonis hominibus in
terra! _ Laudamus Te, decan
tamus tibi, adoramus Te
et Gratias Tibi agamus Do
mine Deus omnipotens Pater!
ob magnam tuam Gloriam et
bonitatem _ Et Tibi unigeni
te fili Patris Jesu Christe
sit honor et Gratia! _ Agnus
Dei, qui tollis peccata mundi
miserere nobis. Placeat Tibi

oratio nostra; — Jesu! qui sedes ad dex
tram Patris Jesu Christe; —
sit Tibi honor et Gratia! — A=
gnus Dei qui tollis pecca
ta mundi miserere nobis. —
Nam Tu unicus et sanctus
cum Sancto Spiritu in Gloria
Patris. Amen.

Ad Epistolam.

Misericors Deus et Pater in
coelo! exaudi benigne peti
tiones, quas servus Alta
ris in nostro omnium nomi
ne Tibi reverenter affert.
A Te veniunt omnia bona et
perfecta dona, et sine Te
nihil valemus. Dimitte
nobis peccata nostra, da
nobis sapientiam, virtutem,
vim et ~~[illegible]~~ adjuva nos
in nostra debilitate, sola

tium et gaudium in bona con
scientia. Haec speramus
a tua immensa Gratia per Je
sum Christum filium Tuum,
Dominum nostrum. Amen.
Amantissime Domine Jesu! in
digressu Tuo emisisti Aposto
los, ut Evangelium hoc omni
bus populis praedicarent,
eos baptizarent, et docerent,
omnia tenere, quod eos jussisti.
Et mihi facta est Gratia haec,
ut Christianus baptizatus sum,
et in haec salubri doctrina
Evangelii eruditus eram. Pro
eo gratias Tibi ago de toto
corde meo, et precor Te, bene
dic voluntati meae discendi, et
fac me capacem, ut crescam
sicut in aetate, et etiam sa=

pientiae, ut voluntatem suam semper melius cognoscam, et eo laetius efficiam.

A. Evangelium.

Adeo Deus amavit mundum ut filium suum unigenitum deu=ret,,ut omnes qui credunt in eum, non eant in perditionem sed habeant vitam aeternam". O, quam plena solatii est annun=tiatio haec pro nobis exules in terris!! Quod majus argumentum amoris Tui possisne dare nobis benignissime Deus et Pater in coelo, quam ut dedisti nobis ipsum filium Tuum Magistrum et interpretem in quem confidere, cujus verbis certe credere possumus?

—

Ad Credo.

Credo firmiter, quod omnia, quae Jesus nos in Evangelio docuit, perfecte vera sunt, vivo & morior. Symbolum Apostol: Credo in Deum &c.

Ad consecrationem Hostiae.

Omnipotens, sancte et aeterne Deus, Pater coeleste! Sicut sacerdos in altare secundum institutionem Jesu Tibi panem et vinum cum gratiarum actione offert, ut ex eo fiat per tuam benedictionem Christi corpus & sanguis, ita et ego me ~~in altissima~~ suppliciter Tibi offero vivo sacrificio. Omnia, quod sum et quae habeo donum

est bonitatis, quasi panis et
vinum, quos nobis ad nutrien
dum et firmandum nos
creasti. Tuum est corpus
meum, tua est anima mea, am
bo mihi e gratia tua dedi=
sti, ~~et nihil~~ et nullam sa=
tisfactionem poscis, quam ut
Tibi gratum amorem meum
spontanea obedientia coar
guam. Ecce mi Deus hoc
libentissime facere volo,
mandata Tua servare, om
nes capacitates animae
meae, et omnes vires corpo
ris mei ad honorem tuum
applicare, hoc sit hodie,
et quamdiu vivam mea
maxime principalis cura
Accipe benignissime Deus

hoc meum sacrificium, et
fac me dignum benignita
tis Tuae.

Ad Sanctus.

Affectus a tua magnalo=
nitate, et jubilans propter
vicinam praesentiam cari Sal
vatoris mei adoro te cum
omnibus Angelis: Sanctus,
Sanctus, Sanctus est Deus
Dominus noster coelum et
terra sunt pleni Gloria
ejus. Laudatus sit, qui ve
nit in nomine Domini.
Praebete ei pretium, gloriam
et honorem in saecula.
~~Ecce~~ Conspice nunc misericors Deus
paterna benignitate in hoc
altare, in quo se filius Tu
us

us pro nobis peccatoribus offert, et exaudi benigne nostras deprecationes pro salute Christianae ecclesiae et omnium hominum. Illumina eos lumine veritatis, forma corda eorum ad bonum, conserva eos in pace, et benedic nobis, ut omnes amore tecum et invicem congregati simus, sicut et Tu (cum) filio tuo es.

Praecipue commendo indulgentiae tuae parentes meos, praeceptores, fratres, et sorores meas, amicos et benefactores. Praeside omnicuique bono magistratui,

regi, et omnibus antistitibus in rebus mysticis et munda nis. Benedic omnibus civi bus et incolis patriae no= strae, ut vivent in sinu pacis et quietis, in omni pietate et exercitatione vir tutum. Miserere omnium tuorum servorum et serva rum praesertim horum qui praesentes sunt, et qui vota sua communiter me cum offerunt. Ne inimi cos quidem meos non exclu de e clementia tua; et dimit te iis, sicut et ego iis om nes confectas injurias cor dialiter dimitto.

Addamus orationes nostras

deprecationibus fratrorum nostrorum in coelo, amicorum tuorum electorum, cum quibus per perseverantem amorem communionem habemus. Libera nos ab aeterna perditione et praesta ut nomina nostra essent in libro vitae inscripta, per Christum Dnum nostrum Amen.

Ad elevationem Hostiae et Calicis.

V.

Vesperi ante passionem suam assumit Dominus Jesus panem in manus suas venerabiles suspexit in coelum, gratias egit Deo,

coelesti suo Patri benedicit
pani, et fregit id, et dedit
discipulis suis his cum
verbis: "Accipite et man
ducate omnes de eo, nam
hoc est corpus meum."
O Jesu mi Domine mi Deus!
adoro te in fide; tibi vivo,
tibi morior, tuus sum vivus
et mortuus. Amen.
Eo modo sumpsit post coe
nam calicem, gratias denuo
egit Deo benedixit illi, de-
ditque eum discipulis su
is dicens: Accipite, et
bibete omnes ex eo, nam
iste est calix sanguinis
mei novi et veteris foederis,

qui pro vobis pro multis aliis effusus erit ad remissionem peccatorum. Toties hoc facite, facite ad meam commemorationem.

Quo, mi benignissime Jesu, reminiscor contrito corde tui inexplicabilis amoris, ex quo ipse te reddidisti pro nobis in sacrificium mortis. praesta ut non pretium inaestimabilis effusi tui sanguinis in anima mea pereat. En facio et consecro me tibi totum placens contra sacrificium, nunquam extinguet memoria amoris tui in corde meo, nunquam

libido peccati in eodem esse
quia redemptio mea maximi
est pretii, dedisti nempe
pro ea sanguinem et vitam,
Tibi vivere volo et moriri!
Omnipotens Deus Pater coeleste,
obsecramus te suscipe sa
crificium filii tui in gra
tia pro nobis, praebe nobis
per eum misericordiam
tuam, et imple omnes,
qui participes sacramen
ti ejus corporis et san
guinis sunt, magna be=
reditione.
Memento etiam care Deus
et Pater in Gratia nostro
rum fratrum, servorum
et servarum suorum,

qui in fide et fiducia in misericordiam Tuam in Christo per mortem in aeternitatem antecesserunt nos, quinimo N. N. (parentum meorum amicorum, benefactorum) Adduc eos semper propius ad metam votorum eorum et da ut nos cum illis et omnibus electis in coelo aeternae vitae essemus participes, per Chr. D. n. Amen.
Ab eo edocti, et formati ~~forr~~ audemus dicere Pater noster qui es in coelis &c.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis (ter repetitur).

Ad Communionem.

Divine Redemptor, benignis=
sime Jesu, tantus fuit
amor tuus erga nos, ut
corpus Tuum cibo, et sangui
nem Tuum poto animis no
stris instituisti, ut Tu
nobiscum, et nos tecum
intime communiti essemus.
Praebes te hodie rursus
omnibus tuis amicis my
stico cibo, audio te quasi
clamantem. "Omnes qui
debiles et informi estis,
venite ad me, ego reficiam
vos. Ori sim tam purus
et innocens et sanctus, ut
quam dignus conviva me
ad mensam tuam colloca

possim! Sed o Domine non sum dignus ut intrares sub tectum meum. Anima mea est adhuc diversis cum vitiis, defectibusque macu lata; cor meum pendet per saepe in vanis et mundanis. Ah, quantum ~~me~~ condoleo, ut tantum a longinquo stare, et conspicere debeo, quando di scipuli tui et discipulae pane ~~-~~ vitae laeti vescuntur! Carissime Jesu, Agne Dei, qui tollis peccata mundi miserere mei. Munda me ab omni bus maculis ~~vitae~~ spiritus mei & corporis confirma me in omni virtute, ut tibi

similis et mox dignus essem
in Communione cum bonis tuis
amicis pignus amoris tui ex
manibus sacerdotis accipere.
Interea usque particeps ero
fortunae hujus, dic tantum
verbum unum, et sana erit
anima mea. Fac ut particeps
esse sacrificii corporis et
sanguinis tui. Incende
cor meum igne amoris ut
tibi annectam fideliter usque
in finem vitae meae, ut vi-
vam pie et secundum exem-
plum tuum et doctrinam eandem
vitam concludam, et gra-
tiam tanti adeptus sim, deni-
que tecum congregatum esse
in coelis. Amen.
Suscipe in gratia piissi

me Deus devotionem meam in ~~te~~ oblato sacrificio filii tui, conserva omnes bonas cogitationes, et sensus meos, quas Spiritus sanctus tuus in me concitavit, et fac ut ea sauxilio tuo vita pia et christiana agamus.

Benedictio omnipotentis Dei Patris, filii, et Spiritus sancti veniat supra nos, et maneat semper nobiscum Amen.

Ad majorem Dei & Deiparae gloriam.

Itinerarium.

Ut in Dño ambules, preces sequentes in ipso itineris tui ingressu perage, et ne unquam negligas, cave.

Preces.

Antiph. In viam pacis

Canticum.

Benedictus Dominus Deus Israel, * qui visitavit et fecit redemptionem plebis suae.
Et erexit cornu salutis nobis: * in domo David pueri sui.
Sicut locutus est per os sanctorum, * qui a saeculo sunt, prophetarum ejus.
Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum
patribus nostris,* et memorati te
stamenti sui sancti.
Jusjurandum, quod juravit ad
Abraham patrem nostrum* datu
rum se nobis.
Ut sine timore, de manu ini
micorum nostrorum liberati*
serviamus illi.
In Sanctitate et justitia co=
ram ipso,* omnibus diebus
nostris.
Et tu puer, Propheta Altissi=
mi vocaberis;* praeibis enim
ante faciem D[omi]ni parare vias
ejus.
Ad dandam scientiam salutis
plebis ejus,* ad remissionem
peccatorum eorum.
Per viscera misericordiae
Dei nostri,* in quibus visi=

tavit nos oriens ex alto.
Illuminare his, qui in tenebris et in hora mortis sedent *: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.
Gloria Patri et Filio
Antiph. In viam pacis, et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors DEus: et Angelus Raphaël comitetur nobiscum in via ut cum pace, salute et gaudio revertamur ad propria.
Kyrie eleison. Christe eleison Kyrie eleison.
Pater noster. Secreto. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte nobis Dne auxilium
de sancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Esto nobis Dne turris for=
titudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus
in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non
apponat nocere nobis.
℣. Benedictus Dominus die
quotidie
℟. Prosperum iter faciat
nobis Deus salutarium
nostrorum.
℣. Vias tuas Dne demonstra nobis.

℟. Et semitas tuas edoce nos.
℣. Utinam dirigantur viae nostrae
℟. Ad custodiendas justificationes tuas
℣. Erunt prava in directa
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui filios Israël per maris medium sicco vestigio ire fecisti: quique tribus

Magis iter ad te stella duce pandisti: tribue nobis quae sumus iter prosperum, tempusque tranquillum, ut Angelo tuo Sancto comite, ad eum, quo pergimus, locum, ac demum ad aeternae salutis portum pervenire feliciter valeamus.

DEUS, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldaeorum eductum, per omnes suae peregrinationis vias illaesum custodisti; quaesumus, ut nos famulos tuos custodire digneris: esto nobis Dne in procinctu suffragium, in via solatium, in aestu umbraculum, in

pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate praesidium, in lubrico baculus, in naufragio portus: ut te duce, quo tendimus, prospere perveniamus & demum incolumes ad propria redeamus.

Adesto, ~~Dne~~ quaesumus Dne, supplicationibus nostris: et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone: ut inter omnes viae et vitae & vitae hujus varietates tuo semper protegamur auxilio.

Praesta quaesumus omnipotens Deus: ut familia tua per viam salutis incedat, et Beati Joannis Praecur

foris hortamenta sectando, ad eum, quem praedicavit, secura perveniat, Dominum nostrum Jes. Chr. Fil. tuum.

Intercessio nos, quaesumus Dne, beati Patris Benedicti Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur, per Dnum.

℣. Procedamus in pace.

℟. In nomine + Dni, Amen.

Orationes

Pro fratribus ambulatum euntibus.

Ambulaturi conveniant vel in Capitulo, aut coram Sanctissimo, aut loco

dirignato alio, et omnibus flectentibus dicat Superior.
℣. Salvos fac servos tuos
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Vias tuas demonstra nobis.
℟. Et semitas tuas edoce nos.
℣. Dominus vobiscum
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Adesto D[omi]ne supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes viae et vitae hujus varietates tuo semper protegamur auxilio. Per Chr. D. n. Amen.

In Reditu.

℣. Salvos fac servos tuos
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Convertere D[omi]nus usquequo

℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere his famulis tuis, et si quid eis in via surripuit visus, vel auditus malae rei, aut otiosi sermonis, totum ineffabili pietate propitiatus indulge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sequitur benedictio ex aqua lustrali sub dicto:

℣. Nos cum prole pia

~~℟. Benedicat~~

℟. Bene + dicat Virgo Maria.

Suppplikacye.

Swięty Boże, Swięty mocny, Swięty a nieśmiertelny, Zmi=łuy się nad nami.

Od powietrza głodu ognia i woyny, wybaw nas Panie &c.

Od nagłey a niespodziewaney smierci, Zachoway nas Panie.

My grzeszni ciebie Boga prosimy, Wysł. n. P.

O Jezu, Jezu, Jezu. Zmił. się nad Nami.

O Marya, Marya, Matko Boska, Przyczyń się za Nami.

Pieśn #1.

Do ciebie Panie, pokornie wołamy
Łzy wylewaiąc, serdecznie wzdychamy
Racz na nas weyrzeć, z Nieba wysokiego

A racz pocieszyć człowieka grzesz
nego. # 2.
Któregoś Panie zbytnie umi
łował, — I krwi Nayświętszey
przelać nieżałował. — Acz
miecz Twoy srogi bardzo się
rozszerzył, — By złości na
sze swą srogością zburzył.
3.
Lecz nic niedbamy, w złościach
naszych trwamy, — Jednakże
Panie ku Tobie wołamy, —
Byś złości nasze łaskawie prze
baczył, — A gniew Twoy srogi
pohamować raczył.
4.
Użycz łaski Twey, ku upamię
taniu, — Day serce prawe
ku Twemu wzywaniu. — Abyśmy
zawsze w pobożności żyli, — Cie
bie z Swiętemi, na wieki chwalili.
Amen

Meßlied.

Hier wirft vor dir im Staub sich
O Gott die Christenschaar
Zu dir erhebt sich Herz u. Sinn
Das Auge zum Altar.
O blick auf uns mit Vaterhuld
Vergib uns die erkannte Schuld
Verstoß von deinem Angesicht
O Gott uns arme Sünder nicht,
Verstoß uns nicht,
Verstoß uns Sünder nicht.

2.

Zum Gloria.

Gott soll gepriesen werden
Auf seinem höchsten Thron
Und Friede sei auf Erden
Den guten Menschen Lohn.

Wir loben, ehren alle
Diese Dreieinigkeit
Und dir sey Dank erschallen
Bis an das End der Zeit.

3.

Zum Evangelio.

Es kommt aus Gottes Munde
Das Evangelium
Und wir auf diesem Grunde
Steht wahres Christenthum
Verleyh uns unsern Lehrern
Durch deiner Gnade Licht.
Das Ohr zu falschen Lehren
Dieß schließt der wahre Christ.

4.

Zum Credo.

Allmächtiger vor dir im Staube
Erkennt sich deine Creatur.

O Gott u. Vater, ja ich glauben
An dich du Schöpfer der Natur.
An deinen Sohn, den uns empfangen
Der reinesten Jungfrau Schoß gebohr
Und an den Geist, der von ausgegangen,
Von beiden gleich mit beiden war.

5.
Zum Offertorium

Nimm an o Herr die Gaben
Von deiner Priester Hand
Die dich beleidigt haben
Versöhnen dieses Pfand.
Bald bleiben nur Gestalten
Von diesem Brod u. Wein.
Und der wird sie enthalten
Wird Seelenspeise seyn.

6.
Erniedrigt [?] von dem Geschöpfen [?]
Dreieinig großer Gott.

Erkennend dich zu danken
Der sich für uns erblöth
Der sich zum Opfer bringet
Vor deinem Gnadenthron
Zum Vaterherzen dringet
Ist dein geliebter Sohn.

7

Zum Sanctus.

O singt dreimal heilig
Ist Herr Gott Sabaoth
Dreimal unendlich heilig
Ist unser Herr u. Gott.
Es glänzt seiner Ehren
Die ganze Schöpfung voll
Groß und Engel lehren
Wie man dich preisen soll

8

Nach der Wandlung.

Sieh Vater von dem höchsten Throne
Sieh gnädig her auf den Altar
Wir bringen dir in deinem Sohne
Ein wohlgefällig Opfer dar etc.
Wir flehen durch ihn mit dem sein
Und stellen dir sein Leiden vor
Er starb, des Todes Überwinder
Stund auf, erstand zu dir empor etc.

9

Er hat für uns sich dargegeben
Für allen Menschen übergeneigt
Verbittet, damit wir ewig leben
Beim Vater jetzt als ~~Mittelsmann~~
Mittleramt.

vertat

O Jesu laß uns Huld er=
werben
Steh' unserer Seele stets
immer bei.
Damit dein Leiden und dein
Sterben
Für uns nicht verloren
sei.

10

Zum Agnus.

Lamm welches du in Schmerzen
[illegible] sein Leben [illegible]
Sieht mein und Jesu Herzen
Der letzte Tropfen fließt
Er fließt uns zu entzünden
Und unsern Geist zu laben
Die Liebe zu allen Sünden
Von unserer Seele [illegible].

Sposob

Odprawowania Koronki.

(Modlitwa przed Koronką.)

O przenayswiętszy Panie Jezu Chryste Stworco i odkupicielu moy, pragnąc ja grzeszny żywota twego przenayswięt szego tayemnicę uważać, a znając do tego tępe i oziębłe siły moje, supplikuję pokornie Majestatowi twemu, przez miłość dla ktorey ś z łona Oyca przedwiecznego z nieba na ziemię zstą pił, i ludzkie ciało na się wziąwszy tak wiele trudow, prac fatyg, przesla dowania, nakoniec okrutną mękę i smierć krzyżową dla zbawienia mego podjął, racz że i do duszy moiey wstąpić rozum moy oświecić, serce ogniem Ducha S. go zapalić, abym tę ko ronkę iako z naywiększą pilnością na samę chwałę imienia Twego Swiętego na

Honor Panny Maryi i częsci wszyst
kich Swiętych mogł iako naynaboż
niey odprawić, tudzież sobie i
tych, za ktorych ją ofiaruię,

Offero tibi Domine hanc
gratiam ut tu deleas iniqui=

Droga zbawienna

Wypisanie dwunastu piątków wynalezionych przez Klemensa VIII Papieża. Człowiek ktoryby obserwując i poszcząc niniejsze piątki o suchym chlebie i wodzie, a do tego odmawiając z uwagą i nabożeństwem w ten piątek po piętnaście pacierzy i iedno Wierzę w Boga, otrzyma łaski i dary od Stwórcy następujące.

Piątek 1. Wstąpiwszy w post Wielki pi
" Niedzieli wstępney, przynosi
" Dar Ducha Świętego.
2 Przed Zwiastowaniem Nayśw.
" P. Maryi. o co prosic będzie otrzyma
3 Przed Zmartwychwstaniem Pań
" skim, od Nieprzyjacioł wolnym będz
4. Przed Wniebowstąpieniem Pań
" skim, potępionym nie będzie.
5. Przed Zielonemi Świątkami bez
" Nayśw. Sakram. nie umrze.
6. Przed Świętą Troycą, Godzinę
Śmierci wiedzieć będzie.

7. Przed S. Janem Chrzcicielem, od Każdukowey Choroby wolnym będzie.
8. Przed S. Piotrem i Pawłem w Grzechu Smiertelnym nie umrze.
9. Przed Narodzeniem N. M. P. Taka że mu się w Godzinę śmierci
10. Przed S. Michałem Archaniołem ~~lękać~~ lękaj się śmierci nie będzie.
11. Przed Wszystkiemi Swiętemi, Nie dostatku w Domu mieć nie będzie.
12. Przed Bożym Narodzeniem, przy konaniu Człowieka, okaże mu się Bóg, Aniołowie, i Archaniołowie.

Zaleconym zostaje przez Wynalazce Klemensa VIII.go Papieża; Ażeby taż Łaska Boża, ktorey nam udzielić raczył tajoną niebyła; gdyż taiący tan sposob zostaje w Grzechu smiertelnym — kto zaś nauczy kogo o tym, lub przepisze 2000 lat odpustu otrzyma —

Ad maj: Chr. Virg. Matri Gl.

Fini die 6. Januarii

1836

J. Sestany

Pater misericors Domine

1729. 18 Septbr. soror.
1731. 14 April. affinis re
1731. 18 Septbr. ego
1757. 17 Junij Antonia Magdalena
1769. 18 Septbr. Josephus Cuperdin
1771. 14 Martij Francisca Josepha
1773. 22 Julij. Jacob Liborius
1776. 23. Julij confirmati sunt
per Vicarium Apostolicum in
collegiata hujate Antonia Constan
tia. Josephus Joan Georgius
et Francisca Susanna.
9 Septbr Confirmatus est per
Vicar. Apostol. de Kohlkirch
in ecclesia PP. Minorum
hujate Jacobus Franciscus

Domine Rex Deus
Abraham dona
nobis pluviam
[illegible] su-
per faciem terrae
ut sciat populus
[illegible]
Dnus Deus noster
miserere, miserere
miserere populo tuo
quem redemisti



Domine R

Abrahami

nobis plu

[illegible]

per facie

ut sciat

[illegible]

Deus De

Misererere

miserere

quam redemisti

